



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DE

IVRE
DISPV TATIONVM

APVD

OMNES OMNIVM RELIGIONVM
POPVLOS, EXCEPTIS MVHAMMEDANIS,
VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA:

QVAM

AVSPICE DEO

CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRAESIDE

M. ERNESTO FRIDERICO
NEVBAVERO,

COLLEGII PHILOSOPHICI ADIVNCTO,


PVBlicAE DISQVISITIONI SISTIT

GOTTHARDVS IOANNES A DIEZ,
LIVONVS, SACR. LITT. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE, AD DIEM FEBR. CIOCCCXXXI.

TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII VIDVAE.

Staatl. Bibliothek
Regensburg



PROLEGOMENA.

Σύνοψις.

DISPVTATIONES licite sunt, §. I. id quod hac differt. monstrandum, cu-
omniam gentium consensu, solis ius ratio & ordo traditur §. III,
Muhammedis sequacibus exceptis, §. II.

§. I.

DISPVTATIONES, easque non serias tantum, sed & fictas & vmbrales, summum sibi ius vindicare, adeo inter omnes dudum conuenit, vt de eo nemo paullo humanior dubitare posse videatur. Quæ hanc in rem proferri ac philosophice differi solent, rationibus non contemnendis: * ea, si historiam omnis æui, si experientiam quotidianam, consulimus, exemplis confirmantur atque illustrantur luculentissimis.

* *De iustitia disputationum* adeat lector excell. IO. FRIDEMANNVM SCHNEIDERVM in *processu disput.* c.I. §. 6. sqq. p.6. GEORGIVM RAPHELIVM, Lunenburgensium hodie præfulem, *diff. de iure naturali disputationum*, Rostochii, 1698. IO. BERNH. PORTKERVM *diff. de philosophorum publice disputantium religione cathedrali*, Rost. 1700. & PRAESIDIS, si placet, *dissertationem logicam de exercitiis disputandi frequentius in academiis instituendis* §. 32. p.21. Quod si theologos respicis, ius disputandi ac controuertendi illis quidam I. C. H. R. G. vindicauit in *idea turis diuini, quod theologorum est in conuincendo & refutando, illustrata & deducta ex exemplo Christi redarguentis Phariseos*, Matth. XXII, 23-33. *exposita & vindicata*, 1730. 8. Sic IOAN. HOORNBECK *dissertationem de controuersis & disputationibus theologis præmisit summae controuersia-*

uerfarum religionis. Adde omnes, qui *theologiam polemicam* consignauere. Officia vero, a theologis hic obseruanda, elegantissimis *dissertationibus de theologo non contentioso, seu de officio theologi circa controuersas*, complexus est vener. IO. LAURENT. MOSHEMIVS, vt & ADAMVS RECHENBERGIUS *de officio theologi circa fidei controuersas tractanda*, IO. WOLFG. IAEGERSVS in *specimine moderationis theol.* MICHAEL FOERTSCHIVS *de iudicio aequitatis in dissensu circa sacra.*

§. II.

Et sane, si ad omnes omnino gentes, diuersissimas quoque religiones amplectentes, mentem animumque & oculos conuertamus; nullam facile tam feram & immanitate barbaram inueniemus, quæ non admittat disquisitiones, sed repudiet omnes. Solos excipe Muhammedanos, hominum genus miserrimum, nullas de *corano* suo disceptationes admittentes. Ab his si discesseris, ex omnibus historiarum libris constabit, ab antiquissimis iam temporibus æquum cunctis licitumque fuisse in arenam cum aliis descendere.

§. III.

Neque id mirare. Quum enim disputationum tanta sit necessitas, tantus fructus: quum veritas sine defensione, qua errores contrarios enervamus, vix ac ne vix quidem mente concipi possit: cur disputationibus operam suam haud nauarent, qui inter omnes gentes sunt, bonæ mentis & litterarum solidarum studiosissimi? Sed ad ipsam rem accedamus eamque ex historiarum monumentis proponamus.*

* Hanc materiam VI capitibus pertractare animus est. Aget igitur cap. I. *de iure disputationum, exemplis sacris confirmato*; c. II. *de iure disputationum apud iudeos*; c. III. *de iure disputationum apud paganos*; c. IV. *de iure disputationum apud christianos*; c. V. *de questione: an fanatici atque Quackeri ius disputationum concedant, que adfirmatur*; c. VI. *de iure disputationum apud Muhammedanos illicito.*

CAPVT I.

DE IVRE DISPUTATIONVM, EXEMPLIS SACRIS CONFIRMATO.

Σύνοψις.

Conſiderantur diſputationes
I. VETERIS TESTAMENTI,

I.) *ſææ*,

a) inter *diabolum ac primos mortali-
ſiam*, §. I.

b) in libro *Cobeletb*, §. II.

2) *vera*,

a) inter *Cainum & Abelem*, illiusque
ſectatores, §. III.

b) inter *Iobum* eiusque amicos, §. IV.

II. NOVI TESTAMENTI: vbi occurrunt

1) *Chriſti* diſputationes cum *Pbariſæis*
ac *Sadducais*, §. V.

2) *apofolorum*, tum cum aliis, tum cum
fratribus, §. VI.

§. I.

ANTIQVISSIMAS omnium, vlla exceptione maiores,
diſputationes, ipſæ ſacræ litteræ hodiernum nobis ex-
hibent. Nolo colloquium illud infauſtum, diabolum
inter ac primos homines inſtitutum, vrgere, vt non nemo
vir doctus fecit, illud primam diſputationem, *pro loco* * habi-
tam, adpellans; quum nullo id iure, ſed ſumma iniuria, fue-
rit habitum, iuſtis diſputationum legibus haud ſeruatis, ſuas-
que partes, intellectu iam prauo voluntatis adpetitu obnubi-
lato, primæuis mortalium recte haud defendentibus.

* Potuiſſet quoque vir ingenioſus hanc diſputationem *pro
gradu* nominare, quod ex ſummo & cæleſti omnis felicitatis gra-
du ad imum infernumque homo ſit deturbatus. Sed luſus hi
ſunt ingenii.

§. II.

Non ſatis certæ ſunt diſputationes, ſed fictæ potius ex
interpretum quorundam ingenio, quæ in Salomonis *Cobeletb*
inter *Epicureum* quemdam atque pium *indeum* inſtitutæ cre-
duntur, * quum omnia multo ſimplicius expediri poſſint.

*Ad

* Adprobarunt hancce opinionem IO, MALDONATVS, HVGÓ DE S. CHARO, SEB. MVNSTERS, ISIBORVS CLARIVS, PET. DAN. HVETIVS, LVD. ELLIES DV PIN, MATTHIAS FLACIVS, SAL. GLASSIVS, IO. SCHZIVS, PET. RAVANELVS, ABR. ABEN ESRA, QUOS PRAESES indicauit in *diff. philol. inaug. de Salomonis ad latitiam exhortationibus, quas libro Cobel. interspersit*, præsidi vener. CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS habita, c. I. §. 19. p. 39. sq. Ante omnes vero, qui audacior est, IO, CLERICVM his accedere, ibidem videre poteris p. 3.

§. III.

Nec de disputatione, *Cainum inter & Abelem*, infelici fidere suscepta, quidquam commemorabo. Scio equidem, multos in ea describenda esse iudæorum magistros,* quibus, ceu pictoribus atque poetis, æqua semper fingendi** fuit potestas; sed coniecturas eas esse, ineptasque partim fabulas, quiuis, amore scriptorum talmudicorum haud irretitus, vltro mihi dabit ac confitebitur. Tantum adserere licet, Cainum, quum pessimus & sceleratus fuerit homo, a quo impia vel maxime stirps propagabatur, quam scelestissime disputasse.*** Eodem modo incerta sunt certamina, quæ ante diluuium *Sethitis* cum *Cainitis*, ac post illud *Chamitis* & *Iaphetitis* cum *Semitis* intercesserunt; quamuis ea magis de agendis, quam credendis, orta fuisse videantur.***

* Discordiam inter Cainum atque Abelem fuisse, ipsa Mosis verba, quibus colloquium institutum Abelemque tandem occisum fuisse, memorat, dubitare nos non sinunt. Ea autem *gen. IV, 8.* sunt hæc: ויאמר קין אל-הבל אחיו ויהי בהיותם בשדה ויאמר קין אל-הבל אחיו ויהרגהו: *deinde loquutus est Cainus cum Habel, fratre suo: quo facto, quum ruri essent, Cainus hostili animo infurrexit Habeli, fratri suo, eumque trucidauit.* Nemo non videt, id inter alia hic innui, Cainum, habita disputatione, qua efficacissimas sine dubio rationes ipsi frater opposuit, exacerbatum vehementer iratumque fuisse, adeo vt, quum Abelem argumentis vincere

cere haud posset Cainus, id sibi vi ac fustibus faciendum esse impie existimaret. Ipsam vero colloquutionem, quam Deus tacet sapienter, describere ac determinare velle, magnæ profecto temeritatis est indicium. Audet id tamen *iurgum*, quod vocitari solet, *Hierosolymitanum*, Cainum Sadducæorum improba placita de postremo iudicio, de vita æterna, de remuneratione ac pœna sempiterna, de existentia ac prouidentia diuina, propugnantes; Abelem contra Phariseorum in iisdem causam agentem, introducens. Sic enim inter alia ibi disputat Cainus: לית דין וליה דין למתן אגרו ולא לצדיקים ולא לאתפרע מן רשיעיה ולא ברחמין אתבר עלמא ולא ברחמין הוא מדבר

nec iudicium est, nec iudex, nec seculum aliud, nec primum bonum iustis dabitur, nec vindicta sumetur ab impiis, nec ex benignitate creatum est hoc uniuersum, nec in miseratione ipse [Deus] gubernat. Probe vener.

præceptor noster IO. IACOBVS RAMBACHIVS monuit, hæc aliaque chaldæi huius commenta ad receptæ hypotheseos præiudicium esse referenda; in *exercit. bermen.* p. 17. Etiam R. SAL. ISAACIDES hanc illius expositionem reiicere videtur, dum ita meliorem dat: כנס עטן ברברי ריב ומצה להתעולל עליו לדרגו: *congressus est cum ipso iurgans ac iurgans, ut occasionem ipsum interficiendi captaret. Sunt alia super hoc mystica explanationes, verum hic est solidus scriptura sensus.* Ipsa disputationis contenta omnia, qui legere auet, adeat SAL. GLASSIVM *philol. sacra* l. I. tr. I. sect. II. p. 64. vbi & p. 65. ineptam hac de lite sententiam PHILONIS iudæi profert in medium, putantis, Abelem a fratre ad disputationem de sacrificio ac religione provocatum, adparere noluisse, quod se eloquentia contra sophisticas Caini artes destitutum agnosceret. Adde, si placet, IO. HENR. HOTTINGERI *thesaurum philol. seu clauem scripturae*, lib. I. cap. II. p. 147. IO. HENR. HEIDEGGERI *hisor. sacr. patriarcharum*, exerc. V. §. 30. sq. p. 189. sq. & b. IO. FRANC. EVDDEVM in *hisor. ecclesiast. vet. test.* tom. I. p. 149.

** Multa exempla congescit PRÆSES in *exercit. philol. theol. de varia indole interpretum script. sacra*, lenz præside ven. IO. GEORG. WALCHIO ventilata, c. I. §. 8. p. 22. sqq.

*** Hoc ita exponit ven. 10. GVIL. ZIEROLDVS in der einleitung zur gründlichen kirchen-bist. mit der historia phil-sophica verknüpft, part. I. c. I. §. 20. p. 13. er zankete mit seinem bruder und selbst mit Gott, daher die zank-theologie der Cainiten kommen ist, die sich als bunde mit einander im disputiren herum-bissen, und immer einer über den andern in hoffart herrschen wolte, & p. 14. er liebte nicht die erleuchtung des betligen geistes, sondern den disputir-und zank-teuffel.

**** Euolue maxime reu. IAC. FRID. REIMMANNI versuch einer einleitung in die historie der theol. insgemein und der jüdischen theol. ins besondere, l. I. c. VI. §. 2. p. 81.

§. IV.

Me recipiam potius ad Iobi, viri sanctissimi, cum amicis de rebus grauioribus ac sacratoribus, disquisitiones, per dialogos, methodo naturali, quæ deinde *Platonica* dicta est, propositas, atque per totum librum passim obuias, * vnde a quibusdam auctor logices inepte constituitur. **

* Breuiter de iis egerunt GEORGIUS PASCHIVS de *varietis modis moralia tradendi libro*, c. I. §. 6. p. 9. excellentissimus IO. FRIDEM. SCHNEIDERVS *processu disputandi*, c. VI. §. 5. p. 90. & præceptores summe reuerendi, IO. HENR. MICHAELIS præf. *notis vberioribus in librum Iobi præmissa*, §. 14. p. 18. IOACH. LANGIVS *genuina metodo disputandi*, c. I. th. 3. p. 9.

** Vt IO. IACOBVS STYBELIVS edocet in *notis ad IOAN. SCHARFII manuali logicum*, p. 8.

§. V.

Ad noui fœderis tabulas si animum traducamus, exemplum disputantis omnium illustrissimum, ipsum scilicet *seruatorem* nostrum, deprehendimus. * Methodo ea vsus est, quam naturalis simplicitas, quam mos, tunc receptus, commendabat ac *Platonica* dici consuevit. Nonnumquam tamen, præcipue cum *Pharisæis* ac *Sadduceis*, ipsum prouocantibus, ea differuit ratione, quam ipsi adhibebant aduersarii,

dia-

dialectica scilicet, siue *erotematica*, ** quæ *Socrati* ut plurimum adscribitur. Consistebat autem in eo, ut frequentissimæ dialogis interrogationes infererentur. *** Quod si vllæ disputationes, certe hæc omni sunt imitatione dignissimæ. Vti enim *Christus* fons est opanis scientiæ omnisque cognitionis, cunctis sapientiæ thesauris in eo intime reconditis, immo ipsa essentialis sapientiæ: sic diuina virtute & efficacia *Pharisæos* omnesque hostes concertando, quomodo alias docendo, longissime & infinite vicit, **** omnesque perfectissimi ac diuini disputatoris numeros expleuit.

* De disputationibus *Christi* agunt 10. ADAMVS SCHERZERS *anti-Bellarmino*, disp. I. p. 27. 28. 10. GEHARDVS *methada* *Aud. theol.* sect. II. c. II. p. 174. qui *Luc. II, 46*, huc refert, vbi ἐπερωτῶν διδασκαίλους, interrogans doctores, *Christus* dicitur; 10. CONR. DANNAVERVS *idea boni disputatoris & malitiosæ sophistæ*, sect. I. §. 6. p. 16. sq. EHREGOTT DAN. COLBERGIVS *in Platonisch-Hermeneutisch Christentum*, part. II. c. XIV. §. 7. p. 664. sq. VALENT. VETHEMIVS *in tergemino specimine disputationis a magistro, qui est ipsa veritas, habita, ex Matth. XXI. demonstrato*; illustris SCHNEIDERVS I. C. & VENER. 10. GEORGIVS WALCHIVS *in philosoph. lexico*, p. 525. Vide & idem *turis diuini, quod theologorum est in convincendo & refutando, illustrata & deducta ex exemplo Christi redarguentis Pharisæos Matth. XXII, 23-33. exposita & vindicata ab I. C. H. R. G.*

** Ita quum *Sadducei* *Christum* interrogando tentarent, *Matth. XXII, 23. sqq.* ipsis deinde quoque *Christus* quæstiones enodandas proposuit. 10. ADAMVS SCHERZERS *Christum* ibi v. 31. ad artis leges disputasse ratur, in *orat. de philosophia in theol. necessitate*, adnotante 10. IAC. STVBELIO I. C.

*** Hinc *disputatio* siilo sacro vocatur συζητησις, act. XV, 7. & *disputare* dicitur συζητῶν, ut *Marci VIII, 11. Io. XVI, 19. ex οὖν, cum, & ζητῶν, querere*: quomodo simpliciter haud raro ζητησις disputationem, *Ioan. III, 25. & ζητῶν, disputare*, c. XVI, 19. notat. Memoratu non indignum est, quod CAMPEGIVS VITRINGA *in archi-synagogo*, p. 195. & cum eo ven. 10. CHRISTOPH. WOLFIVS *curis philol. & criticis in IV. SS. euangelia & actus apost.* p. 952. obseruat,

B

illud

illud *in* teo, vsurpari significatu, quo *in* salmudicis, scilicet ubi de vero, ac genuino scripturarum sensu, vel oratione, vel mutuis interrogationibus, vel disputationibus publicis priuatisque, disquiritur.

*** Recte summe reu. IO. GVIL. ZIEROLDVS *dissert. moral. de prerogatiua barbarorum populorum praecultioribus*, Hatz olim 1697 habitu, §. 17. horum, ait, omnium [Pharisorum, Sadduceorum & Essenorum] ineptiam disputationes, cum Christo habita, satis loquuntur.

§. VI.

Eumdem apostolis* disputandi modum, eandemque fere efficaciam, tribuere possumus, nunc cum apertis lascivisque veritatis irrisoribus, paganis nimirum, nunc cum audeis, nunc cum conuersis quibusdam ex ebraea gente, pseud-apostolis praecipue aliisque haereticis,** acriter disceptantibus. Inter ipsos hosce Christi legatos interdum controuersas fuisse agitas, grauis illa Paulli cum Petro instituta disquisitio nos edocet.***

* De apostolorum disputationibus, quibus errores impugnabant & reuincebant, monent quaedam COLBERGIUS l. c. p. 665. sq. GEORG. PASCHIVS *de variis modis moralia tradendi lib. tra. c. l. §. 6. p. 10. & ven. IO. GEORG. WALCHIVS l. c. qui cum b. IO. ANDREA SCHMIDIO disquisit. de diuersis disputandi processibus, ex iudaeorum scholis erotematicam disquirendi rationem in christianam transisse ecclesiam, variis ex locis colligit. Praecipue illustrem disputationem, quae Athenis Paullum inter & philosophos paganos, Stoicos pariter atque Epicureos, agitata atque act. XVII, 18. sqq. descripta est, obseruare decet. Commentatione quadam eam illustrauit laudatus saepe WALCHIVS, obseruat. in noui foederis libros, part. I. obs. X. pag. 77. sqq. Adde GOTTF. OLEARIVM *diss. de gestis Paulli in vrbe Atheniensi*, ven. IO. GEORGIUM IOCHIVM *in comment. proemiali de spiritu Attico*, §. 5. sqq. & FRID. DEBEKINDVM *in dialectica sacra*, c. II. p. 10. sq.*

*** Omnium & copiosissime, & doctissime, de apostolorum multis disputationibus, quas inire debebant, praecipit beatus & ingen-

genium meritorum laude conspicuus TO. FRANCISCUS BVD-
DEVS, in ecclesia apostolica, sive de statu ecclesie christ. sub apostolici com-
mentatione historico-dogmatica, siquidem maxima libri preclari pars
quinque capitibus hoc in argumento versatur. Namque cap. I.
de metodo apostolica demonstrandi veritatem religionis christiana contra
ethnicos; cap. II. contra iudeos; cap. III. de controversiis, que apostolis,
cum privis Paulo; cum conuersis quibusdam ex iudeis, specialim pscuda,
postolis, intercesserunt; cap. IV. de apostolica ratione controversiarum theolo-
gicarum decidendi, sive concilio Hierosolymitano; cap. V. de aliis hereticis
quibuscum ecclesia apostolica consistendam fuit, p. 4-694.

*** Gal. II, 11. sqq. memorie proditur, Paullum in Petrum ma-
scule insurrexisse, eumque ob turpissimam simulationem, acriter
increpasse. Id tamen fiebat fraterno animo, hunc in finem, vt
ex errore & vitio in viam ipsum reduceret. Vid. GEORG. RICH-
TERI exercitat. theol. illustre correptionis fraternae exemplum ex Gal. II,
11-14. sistens, Lipsie 1708. Sic Paulus cum Barnaba Antiochiz
acriter confictatus fuit act. XV, 37. 38. 39. adde &, que cum fide-
libus aliis nonnunquam disputarunt apostoli, vt. l. c. v. 5. sqq.
Qua de re conferas, que reuerendissimus abbas, IOACH. IVSTVS
BREITHAVPT monuit, progr. de rat. disputandi christianorum pra-
pria, in programmatibus selectis, p. 66. sq.

CAPVT II.

DE

IVRE DISPVTATIONVM APVD IVDÆOS.

Σύναψις.

Exhibentur iudaeorum disputationes

I. THEOLOGICAS,

I. antiquiores, que

a) generatim describuntur, quod fuerint

α) philosophia pagana deturpata, §. I.

β) metodo Platonica & Socrati-
ca, non vero syllogistica pro-
posita, §. II.

b) specialim agitur de interna in-
dectum difficult,

α) Pharisaorum cum Sadduceis,

β) Babylonicorum cum reliquis,

γ) Rabbanicorum cum Karaitis,

δ) Samaritanis & Samaritanis,

§. III.

2. recentiores,

a) cum paganis,

b) cum christianis, §. IV.

3. *recentissima*, contra *christianos*, §. V.
II. PHILOSOPHICAE, in quibus & rari,
& inepti sunt iudæi, §. VI, Adiici-

untur causæ, cur non solide disputa-
tare possint eoræ, §. VII.

§. I.

SED sacris in litteris descriptas disputationes mittimus. Alias vetustiores si quæras, eas in iudæis admodum frequentes fuisse deprehendes. Antiquissima eorum disputationes haud dubie non contentenda ratione, sed ita sunt institutæ ad sacrarum litterarum ductum, ut fructum inde reportare possent eximium. Posteaquam vero profanam paganorum philosophiam deamare cœperunt, introduxerunt quoque eorum disputandi ac potius altercandi artem. *

* Conf. IO. OWENVM *de natura, ortu, progressu & studio verae theol.* l. IV. c. XIV. p. 397. sq. Bene in hanc rem de sequioribus hisce temporibus ven. IO. GVIL. ZIEROLDVS in *der einleitung zur gründlichen kirchen-hist. mit der hist. philos. verknüpft*, c. III. §. 58. p. 269. *die schulen*, inquit, *der iuden überhaupt waren nicht mehr den schulen der propheten gleich, da man sich im glauben und gehorsam gegen Gott übte; sondern sie hatten mit der heydnischen philosophie die heydnische disputir- und zank-kunst eingeführet, in vielen controuersien und zerigten sophistereyen.*

§. II.

Florebant inter eos processus disputandi *Platonicus*, ac præcipue *Socraticus*, cuius rei documenta bene multa tum in aliis veterum doctorum scriptis, tum vel maxime in *talmudicis* arcanis & fabulis, * occurrunt. *Syllogistica* vero disceptandi ratio iudæis ignota prorsus fuit. **

* Meretur conferri clariss. LEONH. HOFFMANNVS *de origine & progressu rationis disserendi talmudicæ, qua obiciendo & respondendo absolvitur.* Exemplum quoque ex talmude exhibet GEORG. PASCIVS, l. c. p. 9.

Confitente iudæo auctore libri *schebbeth Iebuda*, apud PASCIVM l.c. p. 10.

§. III.

Acerbissimæ inter ipsos iudæos intercesserunt concertationes, præsertim si qui eorum non satis recte sentire viderentur. Nota sunt perpetua Phariseorum ac Sadducæorum dissidia. Nota est Babyloniorum cum reliquis, quos vilipendebant, ad rixandum propensio. * Nota denique, quæ *rabbannis* nostris cum *karaitis* intercedant controuersia. ** Nihil ut dicam de vehementi & ingenti æmulatione, quæ inter *Hillelis* & *Schammai* sectas erat, quarum alumni in omnibus fere inuicem discreparunt, sibi que contradixerunt constanter. ***

* Vid. 10. HENR. HOTTINGERVS in *thesauro philol.* l. I. c. I. sect. IV. p. 21.

** Lege, si velis, quæ monuit PRAESES in *exercit. philol. theol. de varia indole interpr. script. sacra*, sub præsidio ven. IOAN. GEORG. WALCHII habita, §. 8. p. 12.

*** Testantur de pertinacissimis eorum dissidiis tum *miscbna*, tum in primis *gemara*. Ex priori libro exempla expromsit IOAN. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS in *selis igneis Satanae*, P. I. p. 587. sq. De posteriori autem idem p. 70. *iansa plerumque hæc peraguntur disputandi subtilitate, ut vincant illæ altercationes propemodum humani ingenii aciem, & sola traditione inter iudeos earum explicatio habeatur. Ibi vero is contentionis æstus nonnumquam iongissime a scopo abripit eos, qui argumentis inter se putant, ita ut nulli Mercurii & Lares ipsos amplius in viam reducere possint; sed tandem ad fabulas nugæque deferuntur, atque his plusculum indulgent. Ex p. 71. Illud discriminis inter scholasticas & gemaristarum insercedit disputationes, quod scholastici semper modum reperiunt, quo suas tricas expediunt, & se exsoluant difficultatibus, quas ipsi excogitarunt. At Gemarista sepe numero omnibus discussis denique irretitæ hærent, tamquam mus in pice; & liberationem a solo messia præstolantur. Eandem eorum titubationem indicat p. 587. est, ait, magnus inter eas fere obique dissensus, atque de eadem re plerumque aliis aliis a suis maioribus favore percepta. Sæpe quoque vacillant penitus in casu aliquo obvio,*

obis, & Elias expectari iubetur, qui intrinsecam rem expedias. Adde
cel. FRID. GENZKENII bistor. philosophie part. I. c. I. p. 5.

§. IV.

Inter recentiores multi eorum scriptis disputationibus, tum inter se paganosque, * disceptarunt, tum christianos adorti sunt vehementer. **

* Liber Corri colloquium, seu disputationem, de religionis capitibus inter regem Cosareorum & R. ISAACVM SANGARVM, iudzum, tum contra paganorum philosophos, tum contra karzos, institutam complectitur. Arabice illud descripsit R. IVDA LEVITA, Hispanus; ebrzam vero versionem confecit R. IVDA ABEN TYBBON, quam cum latina notisque edidit IOAN. BVKTORFIVS, filius, Basilez, 1660. 4.

** Acerrimus, sed maxime iniquus, contra christianos disputator est ISAACVS ABARBANEL, siquidem calumniis eodem onerat per sepe, eorumue opiniones perverse recenset. Vide EDVARDVM POCOCKIVM in *appendice notarum miscellanea*, ad *portam Moysi*, c. VI. p. 129. & p. 204. sq. Testes quoque sint duo eius libri *maiena haieshua* & *maschia ieshua*. R. ISAACVS SPRAT scripsit *ebben bochar*, *lapidem tydium*, christianis oppositum. Notissimus est R. LIPMANI *sepher nizzachon*, *liber victoria*, disputationem contra christianos & Sadduczos, seu karaitas, continens, in lucem emissus a THEODORICO HACKSPANIO. Solide ipsius *carmen memoriale* refutavit IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS in *telis igneis satanae*, p. 118-633. Sunt & plures libri, a iudzis contra christianos sub nomine *nizzachon*, *victoria*, confarcinati, ut R. MATTIAE & R. IOSEPHI KIMCHII. Vide IO. BVKTORFII *biblioth. rabbinicam*, adnexam eius *de abbreviaturis ebraicis libro*, p. 145. sqq. Laudatus WAGENSEILIVS lib. cit. ex MS. bibliothecz Argentoratensis in lucem primum edidit alium librum *nizzachon*, Hackspaniano antiquiorem multo, multoque nequiores. Idem ibidem publici iuris fecit *disputationem R. Iechielis cum quodam Nicolao*, itaque *disputationem R. Moysi Nachmanidis cum fratre Paulo*, denique *sepher soldas ieshua*. Ut aliqs huius farinae libros taceam, pessimas sane

præ reliquis, ideoque nobis commemorandus, est R. ISAACI BEN ABRAHAM liber *chissuk emunab, confirmatio, siue fortalitiuum fidei*. Edidit virulentum hocce scriptum IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS, lib. cit. iterumque edidit IAC. GUSSETIVS, sed ita, vt præstantissimas notas, iudæis oppositas, adiiceret, eosque confunderet.

§. V.

Nostris quoque temporibus reperti sunt ex ebræis doctioribus, qui cum christianis de veritate religionis disputationem non detrectarent: vt quædam exempla, litteris consignata, nos edocent. *

* Sic IO. STEPH. RITTANGELIVS cum iudæo quodam Amstelodamensi altercationem de dicto classico *gen. XLIX, 10. non recedet sceptrum a iuda*, habuit. Epistolas eorum amœbas *telis igneis fatana* inseruit vir summus IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS p. 328-373. Nec ignota est PHIL. A. LIMBORCH *de veritate religionis christiane amici collatio cum eruditio iudæo*, Goudz, CIOCCCLXXVII. 4.

§. VI.

De philosophicis iudæorum disputationibus nihil fere dici potest, siquidem logica aliaque utilissimæ scientiæ apud eos incultæ profus iacent. Succurrit tamen R. SCHEMTOBH, disputator philosophus non ineptus. *

* Hic namque in libello: *iggereth havvikkuaeb, i. e. epistola disceptationis*, varias de eo congeffit dissertationes philosophicas, quod nullæ sint philosophiam inter ac theologiam pugnæ. Adde §. IV. dicta.

§. VII.

Sed si acumen iudaicum in disputationibus requiras, tam ieiuna, tamque inepta sunt eorum argumenta, quæ disputando interdum iaculant, vt qui risum continere possit fortissimus hic videatur. Talia larga cum primis manu deprehendes in talmude, inficeto illo libro, * Neque non eorum

rum disputandi ratio miserrima esse potest, siquidem nimium suis credendum statuunt doctoribus.

* Cui ipsa huius libri penetralia adire non licet, euoluat christianos, qui contra iudaicam gentem calamum strinxerunt. Ex quibus præ reliquis cum laude commemorandus IOAN. ANDREAS EISENMENGERVS in *dem eyndecktem iudentubm*, nec IOAN. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIUS in *telis igneis Satana* hic silentio inuoluendus. Addi etiam vel CHRISTIANVS GERSON potest in *der iüdischen talmuds fürnehmsten inhalt und widerlegung*.

CAPVT III.

DE

IVRE DISPUTATIONVM APVD PAGANOS.

Εὐνοΐα.

Paganorum disputationes euoluuntur apud gentes

I. CULTIORES, & quidem

1) *græcos*, ubi obseruanda

a) *inuentor* dialectices, seu artis disputandi & altercandi, *Zeno*, §. I.

b) *methods* disputandi;

a) *Platonica*,

β) *Socratica*,

γ) *Aristotelica*, §. II.

c) *disputationes* inter varias philosophorum sectas, præcipue

a) *sophistas* ac reliquos, §. III.

β) *Platonem* & *Aristotelem*, eorumque discipulos, §. IV.

d) *altercator* omnium maximus, *Zoilus*, §. V.

2) *romanos*, qui

a) *methodo* disp. eadem vñ, vt græci,

b) *recitationibus* ac *rescriptionibus* disputarunt, §. VI.

3) *utrosque* contra christianos pugnantes, §. VII.

II. BARBARAS, per colloquia & questiones differentes, vt fecere

1) *orientales*, præcipue

a) *gymnosophista*, siue *Brachmanes*,

b) *Sinenses*, in primis eorum *Confucius*, §. VIII.

2) *occidentales*, vt in Gallia & Germania *Druides*, de rebus utilibus differentes, §. IX.

§. I.

INTER cultiores paganos, ac græcos speciatim, *Zeno Eleates*, qui dialectices fertur auctor atque inuentor, talem primum introduxit logicam, quæ magis rixas excitaret aleretque. * Hic igitur omne suum ingenium eo contulit,

tulit, ut de omnibus rebus tantum acriter vehementerque disputaret, cunctisque bellum indiceret.

* Ut ven. IOAN. GEORGIUS WALCHIVS in *der einleitung in die philos. c. I. proleg. §. 4. p. 83.* ipsum quidem inventorem logicae adserit, sed hoc intelligendum monet *von der zank-dialectic.* PET. BAELIVS in *dictionnaire historique & critique*, vol. IV. f. 297. sqq. *Terminie hoc explanavit & inter alia dixit: cette dialectique de Zenon semble avoir été destinée à brouiller tout, & non pas à éclaircir quelque chose. Il ne s'en servoit que pour disputer contre tout venant, & pour réduire les adversaires au silence, soit qu'ils soutinssent le blanc, soit qu'ils soutinssent le noir -- On voit là un homme, qui critiquoit tout, qui renver- soit beaucoup d' opinions & qui en gardoit très-peu pour lui.*

§. II.

Alias apud græcos tres præcipue dissertandi methodi receptæ leguntur. Alia erat *Platonica*, * alia *Socratica*, ** alia *Aristotelica*. *** Illa simplicissima erat maximeque naturalis, quod in colloquio sermone vulgari alter alteri sua proponeret dubia. Ista frequentibus interrogationibus, ad fallendos plerumque incautos compositis, absoluebatur. Hæc denique per argumenta, in ceram formam tornata atque *sylogismos* dicta, disquirere solebant disputatores. Multa de his in veterum litterarum monumentis vestigia reperires. **** Persæpe etiam non tenuiter ad philosophorum morem, sed ad rhetorum copiam vberius ornatusque de re proposita in utramque partem disputabant ac fere declamabant. *****

* Vid. IOAN. ANDR. SCHMIDII *brevi disquisitione de diversis disputandi processibus.*

** *Platonicam* disputandi rationem primus, si testis DIOGENI LAERTIO lib. IV. n. 28. credimus, immutavit & tum quærendo, tum respondendo, acrem magis ac litigiosam fecit *Arceflaus*, eoque Socraticæ methodo ad hæsit. Audiamus M. TVLL. CICERONEM: *Socrates*, inquit, *percunctando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum diserebat, ut ad ea, quæ ii respondissent, si quod videretur, diceret. Qui mos quum a posterioribus non esset resertus, Arce-*

filas cum reuocauit instituitque, ut illi, qui se audire uellent, non de se quaerere, sed ipsi discrent, quid sentirent. Quod quum dixissent, ille contra; de finibus.
 I. II. c. I. Conf. THOMÆ STANLEII *hist. philosophia*, part. IV. c. II. p. 394. DAN. GEORGIUS MORHOVIUS in *polyhist. literario philosophico & pract.* tom. I. lib. I. cap. XV. §. 55. sq. p. 167. sq.

*** *De methode disputandi per syllogismos singulari* dissert. Gryphiswaldiz olim habita, egit celeb. IUSTVS WESSELVS RUMPAEVS, illustris archi-gymnasii Susatensis director nuper defunctus. Miserabilis vexata, ut vocabatur, questio ac controuersia erat, quam cum BALTH. MEISNERO magna maledicentia & in illum iniquitate agitauit CORN. MARTINI, philosophus Iulius: *an semper in forma syllogistica de rebus theologis disputandum sis*, quorum hic adfirmatiuam, ille negatiuam sententiam recte defendit ac tuitus est.

**** *De omnibus hifce disputandi institutis placitisque* uide excell. IOAN. FRIDEM. SCHNEIDERI nostri *solemnem dissertat. philos. de variis argumentandi methodis veterum ac recentiorum philosophorum*, & cel. IAC. FRID. REIMMANNI *ideam systematis antiquitatis literariae*, p. 139. sqq.

***** Adnotauit hoc IOAN. SCHEFFERS in *gymnasio filii*, pag. 170.

§. III.

Multæ præterea magnæque inter diuersas philosophorum sectas intercedebant contentiones. Sic concertabat uehementer cum *sophistis & Ariyto* sui temporis celeberrimus ac sagacissimus facile disputator, Socrates. * PLATO quoque cum *sophistis* sæpe congressus legitur. ** EPICTETVS, philosophus ex Stoa, permultas habuit disputationes. *** Præ reliquis PLOTINVS, philosophus Platonicus, disputator fuit acerrimus, siquidem cum PORPHYRIO de ratione unitio- nis, quæ animam inter corpusque nostrum est, per tres dies continuos disputauit. ****

* Eius in disputando dexteritatem ita expressit THOMAS STANLEIUS *hist. philos.* part. III. cap. IX. p. 166. *is opposuit se Socrati, qui subtilitate quadam disputandi reselleret eorum instituta solebat uerbis;*

his; questionibus pro more suo eos vacans, multumque parva existimatio-
ne inferiores esse ostendens, nec ipsos intelligere ea, in quibus aliis insti-
tutionem pollicerentur.

** Omni virium conatu in retundendis defricandisque so-
phistis versatus est, idque per anfractuosas disputationum amba-
ges, obseruante IAC. BRVCKERO *histor. philos. doctrina de idis*, §. 3.
p. 20. sq. & p. 29.

*** Conf. ARIANI *commentarium disputationum EPICETI*.

**** Referente PETRO BÆLIO in *dict. hist. & crit.* vol. III.
f. 2331. p. c.

§ IV.

Dubito fere, an acerbiores in Gracia fuerint disputatio-
nes, quam *Platonicos* inter atque *Aristotelicos*. Ipse ARISTO-
TELES præceptorem suum PLATONEM vehementer ador-
tus traditur, * licet hic octogesimo iam annum ageret, ac
propter ætatem viribus desitueretur. Similiter *Xenocrates*,
ex intimis Platonis familiaribus, Aristoteli admodum fuit in-
fensus infestusque, magnoque animo ac studio cum ipso con-
certauit. **

* Quod quidem CL. AELIANVS, qui de dissidio Aristotelis,
a Platone in *varia historia* lib. III. cap. XIX. integrum conscripsit,
ita exprimit: ἐπιδήμενος αὐτῷ καὶ ἐπιβουλεύων ὁ Ἀριστοτέλης, καὶ φι-
λοτίμως πᾶν τοῖς ἐρωτήσεσι ποιούμενος, καὶ τρόπον τινὰ καὶ ἐλεγκτικῶς
ἀδικῶν αὐτῶν, καὶ ἀγνωμονῶν ἦν δηλὸς intendens in eum & aduersus ex in-
dis Aristoteles, magnaque cum ambitione quaestiones necens, & quodam-
modo sophistice eum redarguens, iniuriam simul & ingratum sese præbebat.

** Ita namque laudato loco AELIANVS p. m. 206. αὐτὸς ἐπέ-
θετο τῷ Σταγειρίτῃ κοτὰ τὸ κατεργῶν καὶ εἰς τοῦτον περιήλθε φιλο-
τιμίας, ὡς ἐξέλασαι αὐτὸν, καὶ ἀποδῆσαι τὸ σῖναδες χωρίον τῷ Πλάτωνα,
ipse, quam potuit, maximis viribus contra Stagiriten pugnavit: eoque con-
tentionis progressus est, ut eum eiceret [ex Persipato] & in consuetum lo-
cum Platonem restitueret.

§ V.

Omittere non debemus disputatorem ac potius alterca-
torem,

terent, immo vero vitiligatorem post hominum memoriam maximum, *Zoilum*, qui neminem sine graui censura dimittebat. *

* Nam ideo κύων ρητορικός, *canis rhetoricus*, dictus fuit, teste CL. AELIANO l. c. lib. XI. cap. X. Ingenium vero hominis ita idem depinxit: ἦρα ἀγορεύων κακῶς, καὶ ἀπεχθάνεσθαι πολλὰς ἄλλῃ ἔιχε, καὶ ψογῆτος ἦν ὁ κακοδαίμων. *studiosus male loquendi, serendis litibus operam sedulo dabat: contumeliosus, denique ad reprehensiones erat proclivis miser ille.*

§. VI.

Apud *romanos* eadem fuit disputationum facies, eademque methodi. *Recitationes* vero eorum, certum quoddam, sed maxime modestum, disputationum genus, singulari quadam ac præcipua laude ornandæ videntur. More enim receptum erat, ut eruditi, qui aliquid composuissent edendum ac publicandum, in magna doctorum frequentia illud prælegerent privatim ac publice, eorum iudicia, siue admonitionibus ac correctionibus, siue certis signis, ut vultu, oculis, nutu, murmure, silentio, manuum motu, exprimenda, cognituri. Hæ *recitationes* vocabantur quoque *commissiones*. * Quorsum referas *rescriptiones* ** veterum, quum amicorum orationi laudatæ orationem, nonnumquam carmini carmen, immo etiam epistolæ epistolam, scite eleganterque elaboratam, opponerent: quo in genere sese quam maxime *romani* exercuerunt.

* Plena sunt de iis veterum monumenta, plena in primis C. PLINII CÆCILII SECUNDI *epistola*. Collegit illa loca, qui de *communicatione, commissione, recitatione* pluribus præcipit, IO. SCHEFFERSVS de *stilo exercitiisque eius*, cap. IX. & X. p. 97. sqq. Quocum coniungi meretur magni CHRISTOPHORI CELLARII nostri *diff. de studiis romanorum litterarum in urbe & provinciis*, §. 21. in *disfert. academicis*, a VEN. IOAN. GEORG. WALCHIO in summam redactis, p. 364.

** Lau-

•• Laudamus iterum SCHEFFERVUM illum l. c. cap. XIV. p. 204. sqq. Nonnullis *declamationes*, quæ sub M. FABII QVINCTI-RIANI nomine vulgo circumferuntur, a iuuenibus, in ratioe-
nandi dicendique facultate sub ductu eius ita sese exercentibus,
vt in vtramque partem orationibus differerent, elaboratz recita-
tzque videntur. Qua autem ratione eiusmodi elegantiores dis-
sertationes scribendæ sint, monstrauit HERMOGENES, rhetor &
orator sæculi II. inclitus, in dissertatione, quam *de statibus controuer-
siarum formandis & de formis orationum posteritati reliquit.*

§. VII.

Posterioribus temporibus, quum religio christiana ma-
iora incrementa cepit, eidemque pagana vbique locorum ac
gentium cessit sensimque corruiat immo euanuit, pagani qui-
dam *grati latinique* tamquam rabiosi canes, *christianos* adla-
trarunt, calumniis & iniquissimis imputationibus eosdem in-
sectantes. *

* Principes in hoc infelici maledicendi studio fuerunt CEL-
SVS, LVCIANVS, Samosatensis, philosophus ceteroquin acutis-
simus & elegantissimus, sed iniquiori & satirico contra christianos
stilo vsus, PORPHYRIVS, quem *rabidum canem aduersus Christum*,
alicubi vocauit HIERONYMVS, LIBANIVS, IVLIANVS, impe-
rator, defector ille, AMMIANVS MARCELLINVS, EVNAPIVS,
alii. PHILOSTRATVS quoque suos de vita *Apollonii Tyanei* libros
in Christi ignominiam finxisse, eruditis quibusdam videtur. Plu-
ra qui hac de re nosse cupit, euoluat b. IOAN. FRANC. BVDDI
*eximiam diff. hist. theol. de veritate christiana religionis, philosophorum
gentilium obrestationibus confirmata, in miscell. sacris t. I. p. 328. sqq.*

§. VIII.

Per colloquia & quæstiones frequentiores philosophi
in oriente *barbari*, qui vocantur, differuerunt: vt de veteri-
bus Indorum *gymnosophists*, siue *Brachmanibus*, * de *Sinensibus* *
aliisque constat, syllogismos prorsus ignorantibus.

* Breuiter eorum hac in re ingenium exprimit. PET. BARLIUS: *ils s' occupoient de beaux discours*; l. c. tom. I. fol. 645. Hodieque nonnulla de illis eorumque cum christianis institutis disputationibus legimus in relationibus missionariorum Danicorum in India.

** ATHANASIVS KIRCHERVS in *China illustrata*, c. X. p. 116. & GEORG. PASCHIVS de *variis modis moralia tradendi libro*, cap. I. §. 7. p. 11. Celeberrimus eorum philosophus, CONFVCIVS, inter quatuor auditorum, quas constituit, classes, secundam iis assignauit, qui *rationandi & bene differendi* artem sibi erant comparaturi.

§. IX.

Etiam inter gentes *barbaras* occidentales viguisse olim disputationes, relatum legimus. Apud *Gallos*, nec non in aliquibus *Germanie* nostræ partibus, sacerdotes doctique eorum philosophi, *Druides* vocati, non solum de omnibus fere controuersis publicis priuatisque constituerunt, * sed & variis de capitibus sermocinabantur ac disputabant. Potiora capita erant *metaphysica* ac *physica*, vt de immortalitate mentis, de sideribus eorumque natura ac motu, de huius vniuersi ac terræ cum primis magnitudine, de rerum natura, de immortalium deorum perfectionibus, vi ac potestate. **

* Dicente cel. FRID. GENZKENIO in *hist. philos.* part. I. sect. I. cap. VII. p. 36.

** Videndi BALTH. BEBELIVS in *antiquitatibus Germanie primæ & in hac Argentoratensis ecclesia euangelice*, art. I. §. 12. p. 17. illustres viri NIC. HIERONYM. GVNDLINGIVS in *hist. philos. moralis*, cap. VI. p. 44. sqq. BVRC. GOTTHELF STRVVIVS in *der erlauchten deutschen reichs-histor.* cap. II. §. 32. 33. p. 40. sq. & quæ de Druidibus peculiariter disputarunt ESAIAS PVFENDORFIVS in *opusculis* eius coniunctim editis a perillustri IO. PET. DE LVDEWIG, itemque CONR. SAMVEL SCHVRFLEISCHIVS.

CAPVT IV.

DE IVRE DISPUTATIONVM APVD CHRISTIANOS.

Σύνοψις.

Christianorum disputationes recensentur in ecclesia

I. ANTIQVA, seu PRIMITIVA, ubi patres

- 1) cum *variis hostibus* congressi sunt vel coram, vel litteris, §. I.
- 2) ex quibus praecipue laudandus S. ANTONIVS, eremita, §. II.
- 3) sed saepe *feruore disp.* abrepti in contrarios, inciderunt errores, §. III.
- 4) in *conciliis & synodis* contra errores subnatos disputarunt, §. IV.

II. MEDII AEVI, s. scholastici, ubi scholasticorum disputationes

- 1) *generatim* describuntur, quod fuerint ineptae ac miserrimae, §. V.
- 2) *speciatim* exemplis illustrantur, ut
 - a) de *mure*, panem consecratum forte comedente, §. VI.
 - b) inter *Occamistas, s. nominales, & Scotistas, s. reales*, de vniuersalibus & abstractionibus logicis, §. VII.
 - c) *Franciscanorum* ob capucium suum, §. VIII.
 - d) exempla disputationum ex *apolog. A. C.* proferuntur, §. IX.
 - e) obseruatur, quod singulare in his *negis & exilibus* disputationibus *artificium* quaesiverint, §. X.

III. RECENTIORI, post reformationem, ubi in censum veniunt

- 1) *seria*, in quibus

a) *Lutherus* solidam *disp. rationem* in lucem retraxit ac restituit, aliisque viam praeparauit, §. XI.

b) *romanenses* tamen omnes ab inepta disputandi ratione retrahi non potuerunt, §. XII. quod exemplis probatur, quum contra protestantes disserunt, §. XIII. habent mutuos inter se dissensus, §. XIV. suisque disputationes cum protestantibus prohibent, §. XV.

c) *colloquia* permulta sunt habita, §. XVI.

d) *theol. polemica* diligenter exculta, quae contra omnes hostes licite instituta est disputationis, §. XVII.

e) *subtilitates scholasticas*, disputationibus noxias, a nonnullis euangelicorum postliminio introductas esse, dolendum, §. XVIII. itemque

f) *libertatem disp.* a multis in pessimam licentiam esse conuersam, §. XIX.

2) *doctrinastica* exercitationes etiam viguerunt,

a) in *conuentibus synodalibus*, §. XX.

b) in *consistoriis*, §. XXI.

c) in *academicis cathedris*, §. XXII.

IV. ORIENTIS,

- 1) *raca*, quae cum latinis concertatur nec non olim cum *Armenis*, ubi felix

felix in primis *Theoriani* cum No-
fesse, Eutychno, suscepta disce-
ptatio notatu digna, §. XXIII.

2) *armena*, §. XXIV.

3) *ethiopica*, s. *Abyssina*, vbi simplici
ratione disputant, §. XXV.

§. I.

NEC vniquam christiani primæui florentissimo eccle-
siæ statu confictum cum iuratis etiam & apertissimis
nominis christiani hostibus, vt eos ad meliorem indo-
lem reducerent ac coercerent, vel coram, vel litteris, detre-
ctarunt. Non vero aliter contenderunt, quam vel propo-
nendo suas theses & ad aduersantium obiectiones respon-
dendo, vel etiam interrogando frequenter. *

* Sic IUSTINVS, martyr, *dialogo cum Tryphone iudæo*, contra
iudæos, ORIGENES *contra Celsum*, paganum, CYRILLVS contra
Julianum, apostatam, TATIANVS, MINVICIVS FELIX in *Octauio*,
ARNOBIVS in *disputationibus aduers. gentes*, huiusque discipulus
L. COELIVS LACTANTIUS *diuturnarum institutionum libris* contra
paganas superstitiones disputarunt: vti iam ante ATHENAEO-
RAS *apologia pro christianis* & THEOPHILVS, Antiochenus, libris
ad Autolyicum religionis christianæ calumniatoribus rescripserat.
ATHANASIVS cum *Aris*, TERTVLLIANVS *de præscriptionibus*
permultis cum hæreticis, PRVDENTIUS cum *Symmacho*, alii cum
aliis, feliciter disceptarunt. Sæculo IX. PHOTIVS, qui sui decus
& ornamentum, quatuor *contra Manicheos* composuit libros, quos
vir longe doctissimus, IOAN. CHRISTOPHORVS WOLFIVS suis
anecdosis græcis, sacris & profanis, tom. I. & II. ex codicibus manu
exaratis in lucem protulit ediditque.

§. II.

Sic St. ANTONIVS, pius eremita & vir a Deo in vera
pietate exercitatissimus, morumque integritate spectatissi-
mus, disputationes cum variis paganorum ægyptiorum phi-
losophis iniit, in quibus eorum absurditatem & inficeta theo-
logiæ dogmata tam clare aperteque ostendit, vt obstupefa-
cti abire debuerint. E contrario crucem gloriamque Chri-
sti

ſſi ita defendit, vt nihil ſupra. Tantum ducem vtinam plures ſequi non dedignarentur! Referuntur tres præcipue eius diſputationes: *

* Lege diſputandi methodum Antonianam, (legi enim meretur,) in vita eius, quæ exſtat in GOTTFR. ARNOLDI *vitis patrum, oder leben der alt-väter*, ex edit. IO. DAN. HERRNSCHMIDT, cap. XLIII-XLVIII. p. 67. ſqq.

§. III.

Negari tamen nequit, ſæpe numero bonos alioqui doctores & primitiue eccleſiæ antiſtites, quos *patrum* nomine reuerentia filiali proſequimur, diſputandi quodam feruore & calore, ſtudioque aduerſarium vincendi, in devia prohi dolor! fuiſſe abreptos: * id quod plerumque in eiusmodi feruore fieri ſolere iam dudum obſervarunt eruditi.**

* Teſtem excito BALTH. BEBELIVM in *antiquitatibus eccleſiæ in tribus prioribus poſt natum Chriſtum ſæculis evangelicis*, ſec. III. art. V. §. 3. p. 855. *interdum*, inquit, calor diſputandi zelotas longius prouexit, vt Origenem contra Sabellianos, ſi verum eſt iudicium *ἀπολύτως* apud PHOTIVM cod. 117. *Thaumaturgum contra alios*, iudice BASILIO *epiſtola ſexageſima quarta*. Adde, qui idem obſervant, CORN. MVSSVM *comment. in epiſt. ad rom. c. V. p. 270.* ANDR. RIVETVM in *tract. de patrum auctoritate*, critico eius ſacro præmiſſo, c. XI. §. 4. p. 71. IO. BEN. CARPZOVIVM in *iſagoge in libros eccleſiarum Luthæranarum ſymbolicos*, p. 1339.

** Beatus IOAN. GVIL. BAIERVS, quum Fredericianæ eſſet theologus, in eius cathedrâ 1695, *de tranſitu ab uno extremo ad alterum in rebus theologicis theſis XII. theologicæ diſputavit: vt* IO. FABRICIVS *de Scylla theologica*.

§. IV.

Tot concilia, * nunc maiora, nunc minora, ſynodiſque, (vnde tantus ſymbolorum canonumque proventus) inde a Conſtanti magni temporibus, & iam antè, ** ſi legitime fuerunt

D

fuerunt conuocata & celebrata, quem alium habuerunt finem ac scopum, *** quam ut in veritatem inquireretur, atque argumentis, in utramque partem ponderatis, solide disputaretur?

De iis egerunt ex antiquis HONORIUS *de Synodis*, præterea ex recentioribus DAVID CHYTRÆVS in *catalogo conciliorum*, BARTHOLOMÆVS CARRANZA in *summa conciliorum*, IO. CABASSVTIVS in *notitia ecclesiastica historiarum, conciliorum & canonum*, GVILBEVEREGIVS in *pandectis canonum SS. apostolor. & conciliorum, ab ecclesia receptorum*, LVD. BAIL in *summa conciliorum omnium*, it. IOAN. HARDVINVS in *conciliorum collectione regia maxima*, edita vol. XII. fol. GEORGIUS DEDEKËNNVS in *thesauro conciliorum*, a b. 10. ERN. GERHARDO, theologo Ienensium olim doctissimo, adauctam; IO. LVD. HARTMANNVS & IOACH. HILDEBRANDVS in *historia conciliorum* notissima. Addi poterit IO. PRIDEAUX *conciliorum synopsis*, in eius *operibus theologis, quæ latine exstant, omnibus*, p. 707. sqq. De conciliis sæculi tertii variisque eo spectantibus momenti vid. BALTH. BEBELIVS l. c. sæc. III. §. 31. sqq. pag. 951. sqq. vbi & §. 32. pag. 954. in specie processum exhibet obseruari solitum.

** Sic apostolorum tempore congregatum est concilium primum omniumque nobilissimum, *Hierosolymitanum*, quo de controuerfis quibusdam religionis capitibus, act. XV. 6. sqq. dispiceretur. De eo ex instituto dissertationem quamdam scripsit IOAN. DAVID LEONHARD & IOAN. GVIL. BAIERVS *progr. de οὐκρινος concilii Hieros.* quod præfixum est *compendio theol. pestinae*. Late quoque illud describit venerabilis post fata theologus IO. FRANC. BVDDEVS in *ecclesia apostolica*, c. III. §. 1. p. 112. sqq.

*** Illum BALTH. BEBELIVS depingit l. c. §. 33. p. 955.

§. V.

Regnantibus *scholasticis*, ut omnis eruditio & res litteraria, in primisque sacra, tantum non exspirauit, saltem in horrendum abusum degenerauit, ecclesia Dei sub iugo tyrannidis papalis & Aristotelicæ * grauius ingemiscens; sit disputaciones

raciones fato vsæ sunt adeo non fauente, vt in pessimas & ineptas de verbis institutas pugnas, in mille vocum portenta, atque minutias nullius vsus infinitas, sexcentaque dogmata absurda conuersæ fuerint. Adhæc momenta digna discussione non eligebantur; sed materiæ prorsus ridiculæ, pueriles, furiles. Rationibus pugnabatur nullis; sed fraudibus ac sophismatibus, in quibus excogitandis exornandisue magna quædam ac stultissima laus posita credebatur. ** Regnabat præterea confusio summa, ordine natiuo quasi proscripito.***

* Anxie permulti ab intolerabili hocce Aristotelico iugo liberationem optabant. Fertur quidam Tubingæ theologiæ professor CONR. SOMMERHARD in hæc erupisse verba: *quis me miserum tandem liberabis ab ista rixosa theologia scholasticorum, intellige Sophistarum?* apud MELCH. ADAMI in *vtis theol. Germ. speciatim vita Luth.*

** Quod recte obseruat ven. IO. GVIL. ZIEROLDVS, *diff. morali de prerogatiua barbarorum populorum præ cultioribus*, §. 17.

*** Qui plura scholasticarum in disputando ineptiarum exempla scire cupit, Scriptores theologiæ scholasticæ adeat, ex quibus CHRISTIANVM BINDERVM nomino *de theologia scholastica*, ADAMVM TRIBBÉCHOVIVM *de doctoribus scholasticis*, IAC. THOMASIVM *diff. bist. de doctoribus scholasticis latinis*. Adde IO. MEISNERVM *de vitiosa antiquorum disputandi ratione*. Nonnulla quoque exempla passim dabunt ven. IO. GVIL. ZIEROLDVS in *der einleitung zur gründlichen kirchen-bist. mit der bist. philosophica verknüpft*, c. V. §. X. p. 354. sqq. vbi scholasticos enarrat, & IO. LAVNOIVS, *de varia Aristotelis in acad. Parisiensis fortuna*, præcipuè c. XII. p. 233. Addas & GEORG. HORNIVM in *bist. eccles.* p. 358. sq. ibidemque notas DAN. HARTNACCII.

§. VI.

Quod si hæc, quæ dixi, exemplorum copia illustrare vellem, bone Deus! quam larga sese messis mihi offerret. Vt vero videant lectores, vera me dixisse, quædam edisseram.

exempla, quorum quidem primum sit illud de mure, panem consecratum forte comedente. *

* Introducto ab hominibus hifce absurdo & barbaro. *transubstantiationis* dogmate, in alia multa prolabantur absurda. Multas & copiosas instituebant disquisitiones, quid fieri deceret, si mus forte panem consecratum comederit aut adroserit. Nonnulli capiendum murem rati, si capi posset. Quod si captus esset, quærebant, an, si probabili ratione esset mus verus, adorandus sit: quod alii quidem adfirmabant, alii, ne mus adorari videretur, negabant. Nec vna omnium mens erat, quomodo cum mure sit procedendum. Erant, qui ipsum excommunicandum, erant, qui ipsum comburendum, cineremque circa altare spargendum, censerent. Id vero aliis displicebat admodum, quod ea ratione corpus Christi comburatur. Nec deerant, qui existimarent, murem mactandum, quo ex visceribus interioribus eximendis, num frustum panis insit, possit videri. Quod si adesset istud, fidei dandum putabant. Immo eo vsque insanix quidam processerat, vt murem a sacrificulo totum esse deuorandum, adfere-ret. Nihil vt de graui contentione dicam, ea de quæstione exorta, comedatne mus corpus Christi, an accidentia panis, quæ quomodo sine substantia deuorari possent, scirem lubentissime. Dubito vehementer, an vllæ vniquam absurdiores agitatae fuerint contentiones. Bardus sit brutusque, qui non sancto horrore ob eiusmodi absurditates corripiatur. Nullum hic est veri disputationum scopi vestigium, nullum signum. Sine summo igitur tædio legi illæ haud possunt, aut saltim stomachum ac risum mouent veritatis studioso. Ceterum *de mure exenterato*, vt vocari solet, controuersias & rixas enatas breuiter comprehendit IO. ADAMVS SCHERZERVS *anti-Bellarmino*, disp. XI. p. 538.

§. VII.

Magna item ineptaque erant dissidia inter *Occamistas* & *Scotistas*, quorum illi, a GVIL. OCCAMO, Anglo, homine scholastico, originem nomenque ducentes, adferebant, abstractiones suas, siue vniuersalia, de *genere*, *specie*, *differentia*, *propria*, *accidente*, nil nisi mera esse verba; hi contra, a IOAN. DVNS, Scoto,

Scoto, nominati, vera *realia* ea vocabant, vnde *reales*, siue *realistæ*, vt illi *nominales*, siue *nominalistæ*, dicebantur. Primus autem *nominalistarum* auctor fuisse dicitur IO. RYCELINVS, quem PET. ABAELARDVS & GVIL. OCCAM sequuti. Pugnant vero inter se hisce de causis quam vehementissime.*

* Ven. IO. GEORG. WALCHIVS in *der einleitung in die philos. proleg.* lib. I. §. 19. pag. 14. *die spaltung der nominalisten und realisten machte grossen lermen*, lib. II. cap. I. in proleg. §. 14. p. 87. sq. monstrat, neutram partem veritatem propugnasse. Adde ven. IOAN. GVIL. ZIEROLDVM l. c. §. 14. p. 362.

§. VIII.

Visne alia exempla? Bene est, habebis, quod petis. Ingens seculo XIV. controversia, eaque omnium nugacissima atque insulsa, inter *Franciscanos* de capucio suo agitabatur.*

* Acerbitate odii inter se contendebant de habitu sui ordinis, in primis de capucio, S. Francisci regulæ & institutioni primitivæ convenientissimo, de eius materia, forma, colore, aliisque ineptiis acriter concertabant. Mireris, hinc schisma inter eos oriri potuisse; sed ita est, aliis eorum *fratribus communibus* vocatis, aliis vero, qui rigidiores, atque adcuratiores sibi videbantur, *spiritualibus* dictis; quasi vero, vt inepti miserandique hi homines putabant, spiritualis indoles ac natura externo quodam vestitu sit conspicua, quæ in corde potius residet, illudque mutare debet. Nihil tamen minus multa propterea a pontificibus congregata capitula, multæ institutæ congregationes, multa edicta in lucem emissa, ac si religio christiana in summum discrimen sit vocata. Tandem hæc controversia ita est decisa, vt vtriusque factionis monachi talem in posterum gestarent habitum, qualem ipsis superiores illorum sint præscripturi. Resistebant vero Franciscani *spirituales*: quod indignatus papa Ioannes XXII. quatuor ex hisce hominibus, tamquam hæreticos, immo infideles, degradatos ac damnatos, per inquisitores Massiliæ comburi curavit. Omnino

inspice ven. CHRISTIANI EBERHARDI WEISMANNI *introd. in*

memorabilia ecclesiastica historia sacra noui secl. part. I. lrc. XIV. §. 9. pag. 990. sq.

§. IX.

Denique innumera exempla de misera & inepta scholasticorum disputandi ratione ex *apol. Aug. conf.* proferre possem; at vero vnicum tantum dictis adiciam. *

* *Extenuant, inquit PHIL. MELANCHTHON, peccatum originis & scholastici doctores, non satis intelligentes definitionem peccati originis, quam acceperunt a patribus. De fomite disputant, quod sit qualitas corporis, & ut suo more sunt inepti, querunt: utrum qualitas illa contagione pomi, an ex adlatu serpentis contracta sit? utrum augeatur medicamentis? Huiusmodi questionibus opprefferunt principale negotium; in concordia pia, p. 52. Deinde vero, huius rei rationem subdit: neque potest iudicari, nisi ex verbo Dei, quod scholastici in suis disputationibus non saps tractant; l. c. p. 53.*

§. X.

Videmus hinc, scholasticos subtili sua, quam putabant, scientia & disputandi artificio prorsus ineptisse, nosque iure ac merito infinitas illis, easque nullius vsus, disputationes tribuere posse.

§. XI.

Renascentibus litteris & vera religione, duro illo romani pontificis iugo tandem excusso, solida disputandi ratio MART. LVTHERO, aliisque promouentibus, in lucem retracta est. * Quamuis enim lubentes concedamus, paullo ante factorum emendationem saeculo praecipue XV. studia quodammodo fuisse exulta, amore scientiarum vtilium renato; solidum tamen theologiae studium, cum recta disputandi ratione coniunctum, ad sacrarum litterarum praescriptum, ex exilio demum reuocauit megalander. ** Nam ipse absurdam disputandi rationem, qua *philosophari* & in Aristotelis sanctissimi iurare verba, idem erat, diuina virtute infectatus est.

est. Præterea scholasticorum theologorum artes & argutias ineptas detexit, detectas profligauit, omnibusque fere disputationibus sese iis opposuit. *** Ex illa tempestate, vti quisque fuit doctissimus: ita maxime animum ad præclare iurisque legibus disputandum intendit.

* Quo de argumento ex instituto loquutus est PRAESES in *diss. histor. seculari de reformatione a Luthero aliisque disputationibus incepta ac propagata.*

** Vide ven. WEISMANNVM l. c. ad sæc. XV. §. 24. p. 1025.

*** De his passim ven. VALENTINVS ERN. LOESCHERVS in *den vollstandigen reformations-actis und documentis.*

§. XII.

Vtinam vero id ab omnibus, in tætra papali caligine viuentibus, impetrare potuisset diuinus Lutherus, vt miseram illam ineptamque, immo absurdam, ne dicam impiam, disputandi rationem abiicerent, & solida quæuis egregiaque disquirendo sectarentur. Verum placuerunt multis tenebræ præ luce euangelii clarissima, placuerunt nugæ tricæque scholasticæ præ auro argentoque Lutherano. Quam misere itaque, quam ieiune subinde *romanenses* disputent contra protestantes, norint ii, qui vel vnum alterum e scripturæ eorum legerint. Cauillationes ibi inuenies sexcentas, conclusiones, vbi iudicium merito desideras, argumentationes, nullo nexu cohærentes. *

* Hac de re iam suo tempore valde conquestus est PHIL. MELANCHTHON in *præf. apol. Aug. confess.* & in ipsa passim *apol.* quod & facit IOAN. GVNTHERVS, theologus Lipsiensis, in *der gründlichen widerlegung dreyer papistischen schriften*, in fine. Qui illud miratur, recogitet, non posse non miseram esse pontificiorum disputandi rationem, siquidem non, quid veritati consentaneum sit, disquirere, sed defendere tantum papæ placita debent: quod aperte ALB. PIGHIYS in *adsertione hierarchie eccles.* indicat apud IO. AD. SCHERZERVM in *anti-Bellarm. disp. l. cap. III. §. 7. p. 43.* quod

quod pontifex, inquit, ramanus discernit, firmiter credendum est, sine ulla inquisitione, an consensaneum sit sacra scriptura, an vero manifeste cum ea pugnet.

§. XIII.

Vt fidem dictis faciam, nonnullis itidem exemplis * ea comprobare mihi, spero, licebit, vt quibus argumentis contra nos pugnent, suaque stabiliant dogmata, pateat. Ex loco Christi Ioan. XXI, 21. *pasce oves meas, pasce agnos meos*, contra nos concludunt papistæ, Petrum cum suis successoribus, papis romanis, Christi vicarium esse constitutum, supremumque omnium principum monarcham. ** Peregrinationes suas religiosas, ad remissionem peccatorum merendum susceptas, Christi matrisque sanctissimæ Mariæ, exemplis probare nituntur. *** Aeternum monachorum monacharumque castitatis votum itidem ex noui fœderis libris **** tibi monstrant. *Missa* sacrificium tum ex veteri, * tum ex nouo ** fœdere adstruere & confirmare possunt subtiles illi disputatores. Nihil vt de circulo eorum in disputando adhibito, & nouiter excogitatis disputandi methodis, *** ac propositionibus generalibus, quas *præiudicia*, Galli *preiugés* **** vocant, ad decipiendum inexercitatos, & reiiciendas omnes consequutiones, legitimas etiam, in præsens querar: quibus omnibus anilem disputandi modum, ex summa ignorantia mentisque perueritate profluentem, satis produnt, liquidam veritatem corrumpere & soli tantum non obfundere tenebras atq̃.

* Plura qui desideret eiusmodi disputationum specimina, larga manu ea inueniet in CHRISTIANI KORTHOLTI *processu disputandi papistico*.

** Ad eximium hocce argumentum respondentem vide CAROLVM DRELINCOVRT in *reponse à la lettre écrite par Monseigneur le prince Ernest, Landgr. de Hesse*, p. 89. sqq.

*** Sic EVSTACHIUS EISENHVET disputat in *der gelindere aussteuerung*, §. 12. p. 60.

**** Sci-

**** Scilicet ex *Matib. XIX, 12.* id elicit notatus ille Franciscanorum frater EISENHVET I. C.

* Ibi mox in voce מִזְבֵּחַ *altare*, quod missæ fuerit typus, mox in *Mal. I, 10. 11. & cap. III, 3.* missæ quærunct præsidium. Vide *apol. Aug. conf. p. 271. 238. sq.* Licet vero hæc nulla refutatione sint digna, quum ipsa verba nil tale indicent; THEODORVS tamen DASSOVIVS cum aliis hoc profigavit in *diff. theol. missam Mal. I. comm. 11. non indicari*, Kilonii 1701. Porro ex *deut. XVI, 11.* סֶסֶת נִרְבַּח יֵרךְ *tributum spontaneæ oblationis tue*, missam eliciunt, quo nihil magis potest esse ridiculum. Vide interim IAC. ROESERI *exercit. phil. historicam de fœditia denominatione idololatrici sacrificii missæ a papiculis ex סֶסֶת deut. XVI, 10. erui solita*; Vittembergæ, 1667.

** In nouo testamento tam perspicax est IO. BONA, cardinalis, vt in cœnaculo illo, in quo spiritus sanctus in ipsos erat effusus apostolos, primam missam a Petro celebratam videat: quo de multa habet b. IO. FRANC. BYDDEVS in *ecclesia apostolica*, c. VII. §. 4. p. 810. sq.

*** Varias & inauditas disputandi methodos excogitarunt, vt FRANC. VERONIVS, nos sine vlla consequentia debere disputare. Adde, quas inuenerunt HADR. & PETRVS WALENBVRCHII, itemque IODOCVS KEDDIUS, Loiolita: de quibus videndus IO. ADAM. SCHERZERVS in *anti-Bellarmin. disp. I. th. 2. p. 18. sq.* ALB. PIGHIVS hanc romanensibus persuadere studuit, nobiscum non ex script. sacra esse disputandum; in BERNH. VON SANDEN *theol. symb. Luth. p. 202.*

**** Videndus summe vener. Tubingensium cancellarius, CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS in *dissert. p. iori de præiudiciis theol. §. 2. in primitiis eius Tubingensibus.*

§. XIV.

Inter ipsos *romanenses* infiniti sunt dissensus ac disputationes varia ob dogmata, * quamuis plerumque dicant, nobisque, sæpe inuicem dissentientibus, gloriantes obiciant, se, quum papam habeant infallibilem, sacris in rebus nullas internas controuersias alere.

* Vide IO. FECHTIVM in *thesibus ex theol. biblica, §. 23. in philocalia sacra p. 42. sq.* & VALENT. ALBERTI in *der gründlichen widerlegung*

legung eines papstlichen buchs, Aug. & anti-Aug. conf. p. 138. Consideremus tantum infinitas concertationes, ob CORN. IANSENII, PASCASIIQUE QUESNELLII dogmata exortas. Quot, quæso, scripta; in utramque partem hanc ob causam sunt edita? An vero bulla Clementis XI, vnigenitus dicta, rem omnem conficere ac dirimere controuersias potuit? minime, quin immo magis aluit eas excitauitque. Et tamen tantopere hi a reliquis romanensibus distant, vt hæreticorum nomine adpellentur. Sic enim MARIANVS BROCKIE in *examine theol. doctrina Quesnelliana, quo agnitas & iustitia constitutionis dogmatica vnigenitus demonstratur*, cap. I. p. 1. sq. eos vocat, dum *historiam hæresis Ianseniana & Quesnelliana retexit. Præclara disputatione theol. bella infinita, eaque intestina, ecclesia romana, expendenda proposuit* in alma Porussorum PAVLLVS POMIANVS PESAROVIVS, 1696.

§. XV.

Id fatemur, romanenses, hac in re Muhammedanis similes,* tum suis disputationes de religionis capitibus instituendas interdicerere, tum in primis Imperitis inculcare, piaculum atrox & nefandum esse, si cum protestantium quodam de veritate religionis suæ colloquium instituunt eorumue libros legant.** Est id vero singulare infelicis genii stratagemma, si de momentis discussione dignis differere ac disputare haud licet: quo id quæritur, ne ad veritatis cognitionem perueniant homines. In Suecia, quum reformationem promouere studeret OLAVS PETRI, atque episcopo cuidam romano coniugium suum legitimum probasset; hic contra episcopus in diœcesi episcopali doctis pariter atque indoctis omnes de Lutheri doctrina instituendos sermones ac disputationes, publice prohibuit.***

* De quibus infra cap. VI.

** Vide exempla quædam apud illustrem SAM. A PVFENDORF in *der continuirten einleitung zu der historie der vornehmsten reiche und staaten von Europa*, p. 293. 298. 299. sq.

*** Quod idem PVFENDORFIVS refert l. c. p. 296.

§. XVI.

§. XVI.

Ad disputationes serias, minimeque fictas, hic referenda sunt *colloquia* ac conuentus theologici, principum præcipue iussu & auspiciis, partim cum romanensibus, partim ipsos inter protestantes instituti, quorum tantus est post repurgata sacra numerus,* vt iniri vix possit. Negari tamen nequit, in colloquiis scholasticas disputationes plus sæpe altercationis ac damni peperisse, quam simplicem disputandi rationem. Notum est, quid in Vinariensi colloquio bono præclarisque meritis inclito Matthiæ Flacio Illyrico acciderit, qui abreptus feruore disputandi, & deceptus terminis quibusdam philosophicis, sibi ignotis, sua hoc experientia didicit.** Vnde quum serio res agitur, multi hunc dissertandi modum improbant.***

* Optandum, vt tandem aliquando adcurata eorum collectio lucem adspiceret, quam IOANNES quidem FRID. MAYERVS, IO. MICHAEL HEINECCIUS & IO. ANDR. SCHMIDIUS meditati erant ac promiserant, at mortalitate intercepti non præstiterunt.

** Vide IO. MVSAEVM in præf. ad MATTHIÆ FLACII *clauem scripturae sacrae*.

*** Vt IO. DVRAEVS, qui in præf. *irenicorum tractatum pro dromo* præmissa, hanc primam conditionem præscribit: *negotium per disputationem scholasticam numquam esse agitandum.*

§. XVII.

Et quid aliud est theologia *polemica*, quam contra omnes veritatis evangelicæ hostes instituta disputatio? Igitur qui theologiam polemicam tractant, disputationes theologicas instituunt. Quid autem ea magis necessarium excogitari potest, hac præcipue tempestate? vbi erectiora, vt sibi videntur, ingenia veritatem cælestem præcipiti temeritate vel aperte, vel recte & per cuniculos quasi, subuertendam sibi sumunt. Præcipite ii, qui sacris litteris fidem suam iure iurando dato obstringere atque promittere debent, se veritatem tuituros: iidem, se contra hæreticos disputando fidem sanctissimam adserere velle, pollicentur: * Absit tamen, vt

statuamus, per theologiam polemicam, quatenus disputationes philosophicas continet, homines ad veritatem cælestem & æternum nobis profuturam, perducere posse. Probe scio, solis scripturis sacris hanc gloriam esse vindicandam, omnia reliqua modo esse media pædagogica, quibus Deus ad nominis sui gloriam promovendam subinde utitur. Tantum igitur abest, ut a theologia elenctica excludam sacrarum litterarum studium, cum vera pietate ac diuina virtute & efficacia coniunctum, ut potius adfirmem, irrita omnia & vana fore, nisi diuinis dotibus theologus fuerit exornatus. **

* Legimus hoc de MART. LVTHERO, quod doctor ac professor theologiæ renuntiatus, facere id debuerit. Vide beati IO. HIERON. WIEGLEBII *euangelische kirchen-historie* p. 6.

** Legendus SAM. A. PVENDORF in præstantissimo *iuris fecialis diuini* libro, ubi de irritis disputationibus cum pontificiis institutis earumque causis scribit.

§. XVIII.

Dedolendum vero vehementer, a multis in nostram etiam ecclesiam & cathedras subtilitates scholasticas, iustis disputationibus admodum sæpe noxias, postliminio fuisse reductas: qua de causa exstant querelæ præstantissimorum vita, ingenio, doctrina, theologorum. * Multi igitur rectissime huic barbariei sese opposuerunt.

* Vide multa in IO. GVIL. ZIEROLDI *einkleitung zur gründlichen kirchen-hist. mit der hist. philos. verknüpft*, c. VII. p. 382. sqq. von dem neuen scholastischen christentum, eiusdemque gründlichen kirchen-hist. von der wahren und falschen theol. c. V. vom fall der wahren theol. und wieder einföhrung der falschen Aristotelisch-scholastischen barbarey, nach der reformation, p. 112. sqq.

§. XIX.

Non minorem dolorem veritatis pietatisque studioso id adfert, si a multis hodierna luce sub egregio & specioso libertatis cogitandi disputandique titulo ita subinde differi videat,

vt reuera diuina pariter atque humana contemnuntur, pro-
sternantur, conculcentur, nihilque, nisi opinionum monstra
atque portenta in orbem litterarium producantur.*

* Eccui enim ignota sunt (vt eorum, quæ nostra, quæ pa-
trum nostrorum ætas vidit, tantum mentionem faciam) nomina
HEN. DE SPINOZA, BALTH. BEKKERI, PET. BAELII, IO. HAR-
DVINI, ANT. COLLINI, IO. TOLANDI, TH. BURNETI, GVIL-
WHISTONI, CHRIST. DEMOCRITI, CHRIST. MELODII, & alio-
rum sexcentorum? qui, sicuti nouitatis audum est hocce homi-
num genus, omnes ingenii nervos eo contenderunt, quo noua
plane & inaudita, eaque paradoxa & impia, ex cerebro suo pro-
truderent ac disputando defenderent acriter.

§. XX.

Quoniam itaque de seriis disputationibus loquuti sumus:
nunc de *docimasticis* exercitationibus pauca dicamus. Post bea-
ta reformationis tempora à protestantibus cum infamia rele-
garæ haud sunt exercitationes disputandi umbratiles; vige-
runt potius, ac floruerunt semper, fato quamuis diuerso. Mul-
tis in locis in pastorum *synodalibus* conuentibus disputationes
solemnes publice haberi solebant, hodieque ventilantur: vt
in *Saxonia, Guesphalia, Pomerania, Waldeccia*, alibique.

§. XXI.

Nec omitto, in iudiciis sacris, (*consistoria* barbare vocant)
dum probantur atque examinantur viri iuuenes, sacro mu-
neri præfigendi, multas intermisceri obiectiones syllogisticas,
commodis responsionibus soluendas: quod quam imperite,
quam misere sæpe fiat a respondentibus, norint illi, quibus
aliquando interesse illis datum fuit.

§. XXII.

De *academicis* disquisiõibus vt quædam addamus: illæ
hodierna luce omnibus in academiis, pontificiorum pariter
ac protestantium, consuetæ sunt, nec commode abrogari pos-
sunt.

sunt. Oportandum verò foret, ut maior in disputando libertas concederetur, neque scholastica methodus semper vigeret, sed tandem aliquando relegaretur.

§. XXIII.

Ad alias christiani nominis gentes pergamus, visuri earum disputationes. *Græci* tum olim multas cum latinis habuerunt controuersias, tum hodie quoque, * quamuis in arte disputandi, ut omni litterata re, minus bene versati videantur. Obseruatu quoque non est indignum, sæculo XII. *Theorianum* cum *Nofesse*, Armenorum catholico episcopo, disputationem suscepisse, huicque euicisse, esse omnino duas in Christo naturas. Qua disputatione id est consequutus, ut Armenus veram & orthodoxam sententiam amplecteretur, quum vnam tantum naturam in Christo antea adseruisset. **

* Nota sunt illa dissensionis capita, passimque tractantur a scriptoribus græcæ ecclesiæ historicis, ut IO. MICH. HEINECCIO, IO. FECHTIO, WOLFGANGO GUNDLINGIO, THOMA SMITHIO. ALEXANDER quoque HELLADIVS, græcus, in *statu. presentis ecclesiæ græcæ*, p. 372. sqq. sex controuersias adtingit & singularia quædam in iis monere sibi videtur. Nuper quoque STEPH. IAVORSKIUS, Russus, nostram ecclesiam adortus est, cuius vero conatibus occurrit b. IO. FRANC. BVDDEVS.

** Meretur inspicere ipse THEORIANI hac de disputatione conscriptus liber, qui græce latineque in tom. XI. *biblioth. patrum* exstat. Conf. CHRIST. KORTHOLTI *hist. eccles. noui test.* p. 483.

§. XXIV.

Armeni porro christiani tum cum aliis, tum cum romanensibus multas sæpe controuersias agitarunt, qui eos ad suas pertrahere partes studuerant, quem in finem nonnulla quoque concilia sunt celebrata. *

* Vid. CLEMENTIS GALANI *historia armena*, passim, præcipue c. XXVII. p. 389. sqq.

§. XXV.

§. XXV.

*Aethiopes christiani in Abyssinia; licet disputandi artis scholasticæ & Aristotelicæ imperiti, * misereque in omni studiorum genere versati, immo rudes prorsus & inertes sint; ** simplici tamen ratione per colloquia frequentesque interrogationes ad modum aliarum orientis gentium differunt, nec unquam cum pontificiis in arenam descendere detrectarunt.****

* Quod de iis refert vir illustris harumque rerum longe peritissimus, IOBVS LVDOLFVS *historia aethiöp.* l. III. c. IX. §. 47. sqq.

** Teste eodem LVDOLFO l. c. l. IV. c. II. §. 15.

*** l. c. l. III. c. X. §. 24. 32. 33. & 51. Quocum iunge ven. 10.

HENR. MICHAELIS *sonderhabren lebens-lauf herrn Peter Heylings und dessen reise nach Eithiöpien.*

CAPVT V.

DE

QVAESTIONE: AN FANATICI ATQVE
 QVACKERIVS DISPUTATIONVM CONCEDANT?
 QVAE ADFIRMATVR.

Συνοψις.

DE fanaticorum ac Quackerorum circa
 dissp. opinionibus sistitur

I. VVLGARIS SENTENTIA, eos omnes
 proscribere disquisitiones, §. I. enata
 ex quibusdam eorum locis decerptis,
 §. II.

II. NOSTRA, quæ

1. proponitur, quod *scholasticæ & acad.*
 dissp. reprobent, §. III.

2) probatur, quod

a) artes, ex quibus dissp. dexteritas di-
 scitur, improbent, non omnem
 vero rationis usum, §. IV.

b) dissp. habuerint contra alios, cum

a) scriptis, tum

β) coram, §. V.

c) loca extant, mentem ipsorum
 clarius explicantia, §. VI.

III. CAUSSA opinionis fanaticæ, §. VII.

§. I.

FANATICOS, *enthusiastas, Quackeros* & id genus homines
 disceptationes, ceu illicitas, minus concedere, ad vnũ
 partem omnium eruditorum sententiam esse deprehendi.

Inter

Inter eos, qui hoc statuunt, familiam facile ducit EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, non vno loco hanc illis mentem sententiamque adscribens: cuius proinde testimonia in medium producere liceat. *

* Sic in *dem Platonisch-Hermetischen christentum*, part. I. cap. II. §. 6. p. 116. adserit, illos cum nemine religionis causa certamen neundum statuere, ut quod inutile tantum esset ac noxium, finemque praefixum non adsequatur. Idem repetit part. II. c. XV. §. 7. p. 703. alibique non semel.

§. II.

Et reuera hic illic in eorum scriptis adsunt loci quam plurimi, qui omnes praecedendas controuersias iubere videntur: * vti & nonnumquam *rationem* omnem reiiciunt. **

* Vt quum in *apol. fratrum ros. cruc.* lit. b. 2. perhibetur, tempore Elman Zattz venturi non tempus fore disputandi, sed tunc illud: *credite, obedite, sequimini* locum fore habiturum. Similia ex VAL. WEIGELII *disputir-büchlein*, p. 1. & 5. nec non ex PAVILLO FELGENHAVERO producta COLBERGIVS J. c. part. I. c. III. §. 6. p. 177. omnes disputationes esse intermittendas. Adlegat porro c. V. §. 6. p. 238. ADOLPHVM HELD, itemque §. II. p. 250. IACOBVM TAYBE, & *silentarios*, quoddam anabaptistarum genus, c. LXV §. 8. p. 363. Alibi addit CHRIST. HOBVRGIVM, seu ELIAM PRAETORIVM atque IAC. BOEHMIVM, seu huic sententiae adferentes, part. II. c. XIV. §. 5. p. 658. sq. Memini quoque, me legere apud SAM. SCHELGVIGIVM in *Quackertimo confutato*, quem in theses contraxit ac praeside IO. FRID. MAYERO academicis colloquiis exhibuit filius eius, GÖTLIEB SCHELGVIGIVS, p. 4. GVIL. CATTONVM, Quackerum, disputationes tanquam prorsus atque omnino inutiles, reprobare.

** Quomodo id facit CHRIST. ANTON. ROEMELING in *der välligen herausführung aus Babel*, p. 160. *ich meins theils*, inquit, *verwerfe so alles, was vernunft heisset*. Tu contra vide HERM. KNIGGE in *der absonnigen vorstellung und beschreibung C. A. Ræmelings*, p. 28.

§. III.

Nihilo tamen minus, si mihi, quod res est, quodque hac de re sentiam, dicendum foret, in eam omnino descenderem sententiam, homines illos non omnes uniuersim disputationes prohibere; sed *scholasticas* tantum atque *academicas*, quæ certa quadam artificiosa formâ tornantur atque in aduersarium vibrantur.

§. IV.

Id quod inde primum patescere putem, quod *logicam*, *metaphysicam*, immo omnem *philosophiam*,* ad ordinariam disputandi artem summe necessariam, alto supercilio contemnant, unde non possunt non, quæ inde fluit, disputandi methodum exagitare. Non vero omnes eorum sanum rationis usum reiiciunt, quod facere tamen deberent, si nullas habendas disquisitiones statuerent.

* Facit illud ROB. BARCLAYVS *theologia, vere christiana, apologia*, th. X. §. 20. p. 198. sq. Videndus quoque COLBERGIUS l. c. c. XV. §. 7. p. 704. sqq.

§. V.

Deinde cui, quæso, ignota sunt tot *fanaticorum*,* *anabaptistarum*,** *Quackerorum**** scripta, ad confirmanda sua, quibus ab aliis dissident, religionis momenta, reuincendosque aduersarios publicæ luci tradita? Quod si igitur nullas disputationes instituendas crederent, aperte suas ipsorum theses refutarent seque turpissimos darent omnibus. Nec disputationes, coram cum aliis suscipiendas, siue *colloquia*, detrectant. ****

* THEOPHRAST. PARACELSVS, hominem non simplicem, ingentem philosophicorum pariter ac theologorum librorum numerum composuisse, nemo ignorare potest, qui vel aliquam historiz litterariz habet notitiam. In iis autem suam identidem agit causam. Idem fecere PAUL. FELGENHAVER in *apoh. christiana*, ADOLPHVS HELD in *der prüfung der sache eines euang.*

euang. predigers, CHRISTIANVS HOBVRGIVS, siue ELIAS PRAETORIVS in non paucis contra ordinem sacrum publicatis tractatibus, FRID. BRECKLINGIVS in *triumpho veritatis*, itemque *lapide Lydio pastorum*, nec non *Pharisaismo detecto*. Adiungo triumuiros illos IO. DE LABADIE, PET. YVON & PET. DE LIGNON in *veritate sui vindice, seu solemni fidei declaratione*. Idem LABADIE composuit *discernement d'une veritable eglise*.

** Ex *anabaptistis* iam THOM. MVNZERVS non tantum vehementissimo conatu papam pariter ac Lutherum ore impugnauit, idque publice, quod illustris BVRCARDVS GOTTHELF STRVIVS late commemorat in *der erlauterten deutschen reichs-bislor*. cap. XXXII. §. 24. p. 776. verum etiam libellis quibusdam se receptis dogmatibus opponere, suasque insanas dirasque hypotheses propagare sustinuit. *Monasterienses* quoque, nouum regnum adfectantes, 1532. & 1535. in 4t. quzdam in publicum protruserunt scripta. Idem postea eorum posterii fecerunt, quin nominatim cum quibusdam contenderunt. Ex multis aliis notentur F. FLORIS contra FRANC. ELGERSMA disceptans in *der beschermingh der warbeyt Godes weder Fr. Elgersma leere van den heyligen Doop*, & anonymus cum IO. WINCKLERO contendens in tr. *grondig bewys tegen den kinderdoop, tot wedderlegging van Io. Wincklers bewys der kinder-doope*.

*** Nec ex *Quackeris* desunt, qui rationibus hinc inde conquisitis, ad fucum hominibus vendendum, suz religionis capita defenserent ac stabilirent. Præcipui fere sunt GVIL. CATTON, qui contra Hamburgenses, TH. LAWSON, qui contra IO. IOACH. ZENTGRAVIUM, vt alii contra alios, calamum strinxerunt. Nec latet, IO. BERCKENTHAL, CHRIST. PAULLI, PETRVM SERARIVM pro suis vanitatibus scripsisse. Nominauit hosce SCHELGWIGIVS l. c. p. 5. Quibus prz ceteris iungendus ROB. BARCLAIVS, vir non leuiter doctus, in *theologia verè christiana apologia, Carolo II. magna Britannia regi, oblata*, contra omnes fere aliarum religionum socios pugnans.

**** SZC. XVI. MELCH. HOFMANNVS, anabaptistarum facile princeps, eiusque sequaces IO. DE CAMPIS & IAC. HEGGIVS cum IO. BVGENHAGIO, Flensburgi certamen publice iniuerunt, descriptum a PRAESIDE in *diff. bist. sec. de reformat. a Luthero alitque disputationibus incepta ac propagata*, §. 14. p. 18. Francodaliz quo-

que in Palatinatu inter ipsos reformatosque 1571. esse disputatum, idque XXXVII. actionibus, referunt historici.

§. VI.

Postea nonnulla eorum loca prostant, quæ apertissime non omnes disputationes reiiciunt, sed ineptas tantum & inutilis, nec necessarias improbant, * quibus itaque, ceu parallelis verbis, suam mentem clarius expressiusque declarant & exponunt. Ex quibus omnibus id confici puto, homines illos nolle tantum, ut palæstra disputatoria in cathedris instruat, pugneturque syllogismis, non autem concertationes relegare omnes.

* Laudabo in præsens tantum CHRISTIANI HOBVRGII dictum in *postilla mystica*, dom. 3. rem. p. 33. b. (quem tamen locum crebro laudatus COLBERGIUS l. c. c. XIV. §. 5. p. 657. male citat, ac si disputationes in vniuersum tollendas diceret) *weil man, inquit, mit dem disputiren alles ausgerichten wollen, und für dem unnötigen, eifrigen und überhäufsten disputiren den geboten des herrn nicht hat folgen können.*

§. VII.

Quod si in causas odii illius aduersus academicas disputationes inquirere licet, in iis haud dubie hæc sunt, quod artificiosa præceptisque conformata disquirendi ratio eorum placita acute solideque refutare queat. Non tamen negauerim, horrendum cathedrariarum exercitationum abusum, quo in turpissimas altercationes sæpe fuerunt conuersæ, odium illud acerbum non raro vel incendisse, vel aluisse vehementius.

CAPVT VI.

DE

IVRE DISPUTATIONVM APVD MVHAMMEDANOS ILLICITO.

Σύνοψις.

MVhammedani

I. PRÆCEPTVM habent de non instituendis dispp. §. I.

F 2

II. CAUS-

II. CAUSSAE eius eruuntur, §. II.

III. NEGLECTIO præcepti obseruatur in

I. *Muhammede* ipso, qui sæpissime disputa-
uit, tum

a) in colloquiis mutuis, tum

b) in *corano*.

2) *Muhammedanis*,

a) *commentatoribus* in *corano*,

b) *scriptoribus* anti-christianis, §. III.

c) *aliis*, vnde

α) *schismata & sectæ* permutæ exor-
tæ sunt,

β) præcipue *Persica*, quo & referendi

γ) *scholastici Arabes*,

δ) *silentes & loquentes*, §. IV.

ε) *eruditiores multi*, vt *Auicenna*,
Alcibindus, *Azerroes*, cet. §. V.

§. I.

MVHAMMEDANI, quantum scimus, soli ad eum ab-
surditatis & insanix gradum adscenderunt, vt ad brū-
torum instar omnes de *corano* suo, mendaciorum
centone, præcidendas iubeant controuersias, quomodo &
philosophiæ studium prorsus fere est prohibitum. * Multi ta-
men eorum contra leges disputationes ineunt.

* Callidissime enim præcepit sectatoribus suis multumque
in *corano*, (verbi causa *sura* XXIX. v. 46.) execrabili illo ingenii
sui prole, tamquam oraculum diuinum, inculcauit **MVHAMMED**,
bipedum nequissimus, a Deo præceptum seuerè, ne vlla ratione
de libro hocce, religionisque suæ capitibus cum iudæis præcipue
ac christianis, disceptarent. Hoc idem est, ac cæca obedientia cre-
dere aliquid, cuius veritas nondum est euicta. Vnico sane isthoc
præcepto, vt innumeras alias fabularum & mendaciorum tene-
bras taceamus, satis iam absurditatum conuinci potest *alcoranus*.
Quam in rem vide præ reliquis late & bene agentem **LVD. V.**
MARRACCIVM *prodromi ad refutationem alcorani* part. IV. c. XXV.
f. 67. sqq. & in *refutatione alcorani*, *sura* VI. f. 251. Addas **PAVELLVM**
STOCKMANNVM in *elucidario haresum*, p. 229. magnum **IO. FRANC.**
BVDDEVM in *commentat. acad. de concordia religionis christiana statusque*
ciuilis, c. III, §. 13. p. 108. sq. ven. **IO. GEORGIVM WALCHIVM** in *philosof-*
lexico, p. 522.

§. II.

Habebat autem rationes grauissimas, cur hoc effingeret
sanciretque mandatum **MVHAMMED**. Facile enim præui-
debat, quemque *coranum* diligenti meditatione atque in
vtram-

utramque partem, facta cum aliis collatione, discutientem, absurditatem eius fraudesque nullo negotio perspecturum ac detesturum. Id etiam præcepto hoc obtinuit ac consequutus est, ut celeriore progressum haberet coranus. * Multis illud ea de causa præcepisse videtur, ut eo facilius ignorantissimus populus regi posset, cæcamque obedientiam præstaret. Ne vero dolum perspicerent imperiti ac creduli, fucum faciebat, eam ob rem id præcipi, quia utraque gens, & iudæa, & christiana, bonam habeat religionem. ** Fortassis & hanc substituit rationem, ne ad anfractus & salebras a via regia abducerentur, quum omnes se veritatem tenere ac profiteri, ore quidem, at non re ipsa, præ se habeant; neue rixis indulgerent, quoniam non raro in contumelias & iracundias, populo Dei indignas, conuertantur disputationes, quæ propterea valde sint perniciosæ.

* Hanc inter multas alias celeris progressus causas facit ALEX. ROSSAEVS, apud IO. HOORNBECK in *summa controuersiarum religionis*, l. III. p. 118. Sic ven. WEISMANNVS loco mox citando: *opportuna quoque*, ait, *illi fuit disputationum omnium de religione proscriptio sub capiti: pena.*

** MVHAMMED omnis religionis ac conscientiarum libertatem unicuique concedebat, vti quemlibet, modo bene viueret, in religione sua saluari posse adferebat: idque itidem artibus eius adnumerandum est, quibus ad nouam religionem propagandam callide vsus fuit. Vid. ven. CHRIST. EBERH. WEISMANNI *in: introd. in memorabilia ecclesiastica historiae sacrae noui test. sac. VII. p. 576.*

§. III.

Sed ut sibi sapissime contradixit MVHAMMED, immemor illius: *mendacem oportet esse memorem*: sic & in ipso hoc præcepto animaduertere id licet. Non enim ipse tantum sapissime colloquendo disputauit, sed & in corano varia polemica tractat, suisque concepta verba præscribit, quæ iudæis christianisque, eos sollicitantibus, regerere debeant. * Et quid, quæso,

quæso, aliud sunt commentatores Moslemorum in coranum, quam huius superstitionis defensores & disputatores? Immo quicam Muhammedani contra christianos scripserunt. **

* Toties namque totiesque MVHAMMED dicit: *non habet Deus uxorem, adeoque non sociandus est Deo* (patri) *Deus* (filius). Plura elenctica contra Koreifchitas, iudzos, christianos tractat: quod AVGVSTVS PFEIFFERVS in *critica sacra*, c. XV. sect. I. §. 8. p. 408. indicat, & in *diff. de alcorano* §. 23. 24. ipsis exemplis comprobat.

** Nominamus iam ACHMET BENZIN ALABEDIN, Persam, cui PHIL. GVADAGNOLVS *apologiam pro christ. religione* opposuit.

§. IV.

Quid? quod inter ipsos infelicis Muhammedis infelicissimos adfecas varia subinde gravissimaque suborta sint schismata, aliter his, aliter illis de fidei dogmatibus sentientibus. Vix Muhammede tribusque eius soceris *Abu Bechero, Omaro, Osmanne* extinctis, quum gener lascivi impostoris *Alis* rerum potiretur, magna animorum & sententiarum dissensio orta legitur. * Nemini quoque ignotum esse potest, Persas multum ab orthodoxis Muhammedanis abluere. ** Nihil ut tum de aliis sectis quam pluribus, *** tum de Arabum theologia scholastica, in terminis variis consistente, diuersaque quæstionum vbertate insigni, itemque de subtilibus disputatoribus**** in præsens eloquar.

* GEORGIVS CALIXTVS in *adparatu theol. & fragmento historia ecclesie occidentalis*, p. 79.

** Persæ primum quidem Muhammedano veneno infecti fuerunt, non multo tamen post sectam *Alis* sequuti & deinceps in LXXII. alias sectas distracti, a receptis Muhammedanorum opinionibus longius recesserunt. Non venerantur cum Turcis reliquos Muhammedis successores, sed solum *Alim*, traditione *sumo* quoque reprobata: vnde dici non potest, quantum odium, *Vatiano* longe acerbius, Persas inter & Turcos vigeat, in bella sæpe conflatum. Legendi præter SAM. A PVENDORF *einleitung zu der hist.*

bist. der vornehmsten reiche vnd stæten, tom. IV. c. XIII. §. 5. p. 617. sq. 10. HENR. HOTTINGERVS in *dieχαιολογία orientali*, & speciatim quidem in *compendio theatri orientalis*, part. II. c. II. p. 93. 10. LEVNE-DAVIUS in *supplem. anal. Turc.* apud CALIXTVM l. c. p. 85. STOCKMANNVS l. c.

*** Celeberrimæ sunt dux eorum sectæ, quarum alia *silentium* vocatur, qui cæco obsequio sine vlllo examine Alcorani placita sequuntur, alia *loquentium*, siue *vaniloquentium*, qui Alcorani scita discutere, immo *contradictionum* accusare sibi sumunt. Quæ vltima tamen adeo reliquis exosa est, vt eius sequaces morte non raro mulctentur. Ex EDV. POCOËCKIO *bist. Arab.* p. 197. indicat hoc excell. IOAN. FRIDEMANNVS SCHNEIDERVS *diff. solemnæ de philosophia silentii*, §. 8. p. 8. Idem POCOËCKIVS alibi in *appendice notarum miscellanea ad portam Mosi*, cap. VII. p. 235. sectæ *Atmagius & Alcanuia*, siue *Althaniawab*, nec non, quæ *Altenasach* adserit, facit mentionem. Porro HOTTINGERVS l. c. part. II. p. 22. *id.* ait, *ab imperita plebe impetrare facile poterat aliquamdiu, vt noua & hominis ingenio adtemperata religio, nullis controuersarum periculis exponeretur, donec dilatatis longe latæque pomæriis, varietas mox capitum varietatem induxisset hæresium & schismatum.* Et p. 23. hæreses numerat LXXIII. inter quas præcipue hæresis *Alschitorum*, siue *Alisquarum* notanda, quæ & ipsa in LXX. alias diuisa in Perside sedem hodie fixit. Deinceps quoque multa schismata indicat l. c. Meminit quoque p. 26. disputationis ræ *Abul Hasen*, quam itidem scissio sequuta est. De Tataris HOTTINGERVS l. c. part. IV. c. II. p. 142. *proxime accedunt ad leges Islamicas, a quibus tamen differre videntur, vt iudaismus a Samaritanismo.* Magna profecto differentia! Quid multa? Vti arabes, Saraceni, Turci, Persæ alique populi regionibus diuiduntur; sic & in religione, saltim in quibusdam capitibus. Vid. 10. HENR. VRSINI *amica collatio historica de vna vera religione*, collat. I. §. 2. p. 6. IOAN. MOORNBEKII *summa controuersarum religionis*, p. 87. sqq. Agit quoque 10. LEO, Africanus, in opere suo l. II. singulari capite *de sectis Muhammedanismi.* Nec multi anni circumacti sunt, quum Constantinopoli permulti Muhammedani a receptis hypothesibus recederent, ad christianos vero accederent propius, siquidem PAVLLVS RICAVT, legatus ibi quondam Britannicus, in tr. *the*

History of the present state of the Ottoman empire. l. II. c. XVI. p. 44. sq. (adlegante ARR. HINCKELMANN præf. ad *Alcoranum*) ita refert: exorta est nuperis temporibus opinio inter eos, qui in gynæceo [Seraglio] imperatoris, ut & promiscue in urbe Constantinopolitana, humanissimi habentur, quam qui profitentur, Schuubol Messibi, siue sectatores Messæ, audiunt. Hi defendunt sententiam, Christum esse Deum & redemptorem mundi. Adheret autem eidem ut plurimum iuventus nobilior in aula imperatoris, præcipue ii, qui præ aliis morati, adfables & ad maiorem vitam cultum formati sunt. Horum magnus numerus Constantinopoli, quorum nonnulli tanta animi constantia hanc doctrinam adseruerunt, ut martirium hoc nomine tolerarint, prout & adhuc defenditur, & clam propagatur inter eos, qui albo capite involuero [Turbant] utuntur.

**** HOTTINGERVS l. c. p. 48.

§. V.

Præcipue Arabum philosophi, qui supra vulgus sapuerunt, fama & scriptis incliti, IBN SINA, siue AVICENNA,* ALGHINDVS, siue ALKENDI,** ALPHARABIUS, AVERROES,*** ABVMVELIMVS, dux belli,**** inueteratis quibusdam opinionibus bellum indicere non erubuerunt, multum propterea a superstitionis Muhammedanis perpeffi: vnde neque hodie pro veris Moslemis habentur. ****

* Quod AVICENNA peruerse sentientibus sit adnumeratus, de eo ita ED. POCOCKIVS: nec aliam puto ob causam hanc meritis est confuram, quam quod de rebus ad alteram vitam spectantibus philosophice arguendi, easque aliter ac sonant verba interpretandi audaciam sibi sumferis; adpendicis notarum miscellanea ad portam Moysi, c. VII. p. 136.

** ALKENDI ob philosophandi, quam sibi vindicabat, libertatem atheismi est incusatus: quo de breuiter agit *das algemeine historische lexicon*, t. I. f. 135. copiose autem & docte cl. IO. GOTTFR. LAKEMACHERVS in peculiari dissert. Helmstadii habita.

*** Hic quod libere a receptis sectæ suæ opinionibus recesserit, easque exploserit, multarum hæresium accusatus magnaque ignominia adfectus legitur. Parum enim adfuisse, quin aliquando a plebe lapidibus fuisset enecat: In carcerem quoque coniectus, nec ante in gratiam receptus est, quam in Muhammedano quodam templo pristinas sententias reuocasset. Referunt hoc IO.

HENR. HOTTINGERVS in *biblioth. theol.* l. II. c. III. p. 276. PETRVS BÆLIUS in *dictionaire hist. & critique*, tom. I. f. 387.

**** Historicorum monumenta tradunt, ipsum sectæ epidam fuisse additum, quæ hocce vniuersum Deum esse statuit, id-
eoque cum Spinozismo reuera conuenit. Commendamus legen-
dum BÆLIUM l. c. f. 38. & *das algemeine histor. lexicon*, t. I. f. 21.

***** De tribus prioribus ita epitimator YAFEI apud R. D. V. POCOCKIUM: *de religione*, ait, *suspecti & non orthodoxi sunt*; l. c.

EPILOGVS.

EX cunctis hisce, quæ disquisiimus, patet, in iure disputa-
tionum habendarum omnes omnino populos, omnisque
religionis gentes, consentire, *iudeum, paganum, christianum,*
huncque *pontificium, protestantem, græcum, armenum, æthiopem,* ab
infelicibus tactum *Muhammedanis*, quibus hoc non integrum
est, licet id conculcatis nonnumquam legibus faciant, recedas.
Ceterum volebamus primum huius dissertationis vsum am-
plissimum variis in litterarum disciplinis adnectere, ne cui ste-
rilis & sine vfu videatur; verum quum satis iam excreuerit,
in superque cordatus & eruditus lector illum nullo negotio ex
adrenta perfectione cognoscere & tantum non palpare possit:
visum potius fuit præloquio, in cathedra disputationi haben-
dæ præmittendo, illum referuare.

GENEROSISSIMO AC DOCTISSIMO

RESPONDENTI,

FAVORI ATQVE AMICO AESTVMATISSIMO,

S. P. D.

PRAESES.

MVLTAE gaudendi gratulandique caussæ in præsens mihi sup-
petunt, generosissime iuuenis. Præclare enim rem TVAM insti-
tuisti, quod veram nobilitatem non in genere tantum ac sanguine,
sed

sed in virtute cum primis ac pietate, cum vera eruditione coniuncta, positam esse semper existimaueris, ideoque in id quotidie omnes ingenii nervos intenderis, ut & pietate confirmator, & litterarum disciplinis doctior, euaderes. Præcipue autem hoc in TE suspexi, quod, quum theologico studio TE consecraueris, tantum tamque arduum negotium non negligenter tractaueris; sed magna potius industria, magnaque cura. Optime simul & prudenter TIBI consuluisti, dum ad eas artes ac disciplinas, sine quibus solida theologie cognitio adquiri nequit, mentem animumque adplicueris, procul ab iis remotus, qui leuissimo saltu omnia transuolant & minus adcurata cognitione sunt contenti. Iam vero etiam specimen studiorum in cathedra publice edis, de iure disputationum disputaturus, quo ipso TE summo iure theologie pariter ac philosophiæ, elegantiorumque litterarum studiosi nomen tueri, ostendis, quum nemo eiusmodi argumentum rite pertractare possit, nisi harum litterarum præsidis firmiter instructus ac munitus. Gratulabundo igitur animo has ad TE scribo litteras, generosissime iuuenis, felicia quæuis & fausta ad præsens institutum sincero pectoris adfectu adprecatus. Det Deus in dies maiora studiorum incrementa, feliciter omnia cæpta, &, quæ in TE abunde contulit, bona perpetuet iisque addat cumulum. Quod ut fiat, peramanter opto, submissequæ a Deo optimo maximo precibus contendo. Vale. Dabam e museo in Fridericiana Magdeburgica, die XIX. Febr: CIOCCXXXI.

